

QUAESTIONUM OVIDIANARUM

PARS PRIOR

SCRIPSIT

GUSTAVUS GRAEBER

PHIL. DR.

---





P. Ovidium Nasonem Tristium libris atque epistulis ex Ponto scriptis omnes quoscunque habuit amicos, quibus vel sodalibus usus est vel quos fautores coluit, precibus adisse nemo est qui nesciat; neque minus inter omnes constat Trist. epistulas, quas amicorum nominibus occultatis Romam misit, ad eosdem fere viros scriptas esse, ad quos posteriores ex P. datas esse videmus. Sed ex illis viris, quorum nomina epistulis ex P. cognita habemus, quibusnam singulae Trist. epistulae attribuendae sint, qui omnino illi fuerint, a quibus se imperatoribus Augusto Tiberioque in gratiam reduci posse speraret, quem locum nobiliores inter eos Romae obtinuerint, quid singuli poetae exsuli si voluissent potuissent prodesse: accuratius quantum ego quidem scio adhuc peruestigatum non est. Nam quae vel Woelffelius, cum et Trist. et ex P. epistulas in nostrum sermonem translatas Stuttg. a. 1857 sq. ederet, de his viris adnotavit, vel Bernh. Dinterus duobus Progr. Gymn. Grimensis a. 1858 et 1865 in lucem editis et Matth. Kochius dissertatione, quae inscribitur „Protopographiae Ovidianae elementa“ Vratislav. 1865 de Ovidi amicis protulerunt, ea omnia ex Vellei, Senecae, Plini, Taciti, Suetoni, Dionis Cassi, aliorum scriptis obiter conlata sunt, titulorum et Graecorum et Romanorum testimoniis plane neglectis. Quae res eo magis reprehendenda videtur, quod iam ante Burghesius in multis dissertationibus numismaticis et epigraphicis multa de nobilioribus Ovidi amicis docte et sagacissime conguessit. Quem secutus Nipperdeius in adnotationibus ad Taciti Annales gravissima quaeque de eis Ovidi amicis, quorum scriptor ille mentionem facit, brevissimis verbis publici iuris fecit. Quae cum ita sint haud ingratum nonnullis opus suscepisse mihi videor, cum omnia, quae de his viris indagare potui, in unum conspectum contuli. Quibus opinor illud quoque magis elucebit et qualia Ovidi ingenium ac mores fuerint et qualis condicio nobilitatis Romanae primis imperatorum temporibus exstiterit; certe hoc lucrabimur ut intellegamus, quod Tacit. Ann. I, 2 scribit: ... „cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur“ ... verissime iudicatum esse.

Sed antequam ad enarrandas accedimus singulorum Ovidi amicorum vitas, ut fundamenta iaciamus operis nostri maximam partem chronologici, quaerendum est, poeta et quo anno missus sit in exsilium et quibus annis singulos Trist. et ex P. libros Romam miserit edendos. Neque enim in his quaestionibus Edm. Meyerum, qui postremus in Annal. Gymn. Berol. a. 1878 pag. 449—461 rem tractavit, etsi de plerisque distincte ac distribute exposuit, in omnibus rectum statuisse puto. Ille Henr. Brandesi de eisdem rebus opinioni (in Annal. Fleckeis. 1877 p. 349 sqq.) adversatus multas multorum hominum doctorum <sup>1)</sup> de anno cladis Varianae disputationes ita profligavit, ut merito Alex. Riesium (in Annal. philol. Burs. 1880 p. 254 sq.) omnino adsentientem haberet. Non mihi in animo est controversiam illorum de anno illius cladis denuo retractare, quam persuasum mihi sit iam omnes et vel ipsum Brandesium, qui imprimis illam ad annum 763/10 reicere conatus sit, concedere illatam Romanis esse a. 762/9. Aliter autem iudicandum est de ea parte dissertationis Meyerianae, qua Massoni vitam illam Ovidianam secutus demonstrare vult poetam eodem anno (762/9) esse Tomos profectum. Eam quaestionem non ita absolvi posse, ut a Meyero factum est <sup>2)</sup>, inde discimus, quod Massonus, Loersius, Teuffelius, eosque secuti etiam alii multi poetam a. 762/9 exeunte Romam reliquisse statuerunt, contra Clintonus (in fast. Hellen.), Fischerus (Roem. Zeittafeln), Merkelius, Leutschius, Merivalius, alii illum anno priore 761/8 profectum voluerunt; quorum omnium Meyerus rationem nullam fere habuisse videtur, cum quod Massonus egregia sua commentatione statuerat pro explorato haberet, id quod ipse affirmat. Praeterrittam hoc loco quas difficultates is annus (762/9) chronologiae

quae dicitur Tristium Meyero moverit <sup>3)</sup>, sunt aliae et eae quidem gravissimae causae, quibus cogamur ut a. 761/8 relegatum hunc esse iudicemus. Eas praetermissis aliorum hom. doct. ratiocinationibus, quas omnes persequi longum est, exponere quam brevissime conabor.

Ac primum quidem ex Trist. I. 11, 3 sq.

„Aut hanc me, gelido tremere cum mense Decembri,  
scribentem mediis Hadria vidit aquis“ . . .

elucet sub finem anni Ovidium Roma decedere coactum esse. Ilvae autem, in insula maris Tusci, morabatur una cum Maximo Cotta amico, cum primus nuntius edicti imperatorii afferretur, id quod ipse testatur ex P. II. 3, 83:

„Ultima me tecum vidit maestisque cadentes  
excepit lacrimas Aethalis Ilva genis.“ <sup>4) 42)</sup>

Quo nuntio allato statim eum Romam profectum ibique paullum temporis ad res ordinandas remansisse rectissime Merkelius (Adn. ad Trist. I. 3, 5) monuit. Mense igitur Decembri, tempore ad navigandum minime apto, iactabatur maris Hadriatici fluctibus tempestatibusque iter retardabatur efr. Trist. I. 4, 19 sq.

„Iam procul Illyriis laeva de parte relictis  
interdicta mihi cernitur Italia“

et Trist. I. 2, 84 sqq. ubi a dis deabusque ventos faciles et ferentes precatur additque ineptam esse lamentationem istam, „quod sit a patria fuga tam tarda.“ Profecto minime accelerare iter eius intererat satisque causae subest, ut verbis illis fidem adiungamus, quibus vel Trist. I. 6, 32 „longa mala“ itineris commemorat vel Tr. IV. 10, 109 affirmat: „tacta mihi tandem longis erroribus acto . . . Sarmatis ora.“ Iam Loersius ostendisse sibi visus est aestate demum anni mensem Decembrem illum insequentis Ovidium Tomos pervenisse, qua de re rectius iudicium fecit quam Meyerus qui poetam iam mense Ianuar. eo advenisse vult. Ovidius ipse Trist. I. 10 docet, quomodo iter illud fecerit: Brundisio se Lechaeum, inde Isthmo pedibus superato Cenchreas, tum altera carina sumpta Asiam petisse, tum praeter oram maritimam vectum esse ad Samothraces, porro Tempyra adisse, oppidum prope Abdera situm, postremum itineris spatium rursus pedibus confecisse per loca devia atque impeditissima, saepius insidiis ibi habitantium et ense Bistonio petitem. Atque ex ultimis versibus carminis postremi Trist. I., quod carmen cum Samothracia relicta Tempyra peteret scripsisse eum puto:

„Iactor in indomito brumali luce profundo . . .

et: Vincat hiems hominem! Sed eodem tempore, quaeso,  
ipse modum statuam carminis, illa sui“

finitam istam hiemem esse et ver appropinquare apparet. Huc accedit, id quod iam Loersius vidit, quod nonnulli loci I. Trist. libri, quem hic aut primis diebus, quam Tomos pervenerat, aut antea Romam misit, non possunt explicari, nisi in ipso itinere epistulas et amicorum et uxoris ex urbe eum accepisse statuimus; qua ex re vel Corinthi vel Samothraciae vel Tempyris paullum commoratum esse intellegimus. Qui enim potuit de uxore praedicare ep. 3, 91 sq.

„Illa dolore amens tenebris narratur obortis  
semianimis media procubuisse domo“

vel ad eandem scribere ep. 6, 7 sq.

„Tu facis, ut spoliolum non sim, nec nuder ab illis  
naufragii tabulas qui petiere mei“

qui amico cuidam suadere ep. 7, init.

„Si quis habes nostris similes in imagine vultus,  
deme meis hederas, Bacchia sarta, comis“

et ibidem v. 23 sq. de Metamorphoseon libris edendis statuere, quos igne deletos esse putaverat; qui denique amicum quendam adhortari potuit ep. 9, 65 sq.

„Qua potes, excusa nec amici desere causam!

quo bene coepisti, sic pede semper eas“

nisi de omnibus his rebus per litteras certior factus esset? Quae cum ita sint, apparet hunc vere demum ineunte Tempyris Tomos profectum esse. Nam mihi quidem persuasum est, qui tantum identidem de Tomitanae hiemis saevitiis conquestus sit, eum etiam de molestiis pedestris itineris hiemali tempore per Thraciam facti non taciturnum fuisse, si diebus hibernis iter confecisset. Quodsi primam exsilii hiemem non Tomis, sed Corinthi vel alio in oppido peregrinationis degisse videtur, eisdem illis duabus ex P. libri IV. epistulis, quibus inducti Massonus et Meyerus eum relegatum a. 762/9 esse contenderunt, ad annum 761/8 reicimur. Scriptum enim est ex P. IV. 6, 15 sqq.

„Cooperat Augustus deceptae ignoscere culpae:

spem nostram terras deseruitque simul.

Quale tamen potui, de caelite, Brute, recenti

vestra procul positus carmen in ora dedi“

et eiusdem epist. v. 5 „In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est  
iam tempus lustris transit in alterius . . .“

item ex P. IV. 13 quam unam Meyerus adtulit <sup>2)</sup> v. 19 sqq.

„Ah, pudet, et Getico scripsi sermone libellum

. . . materiam quaeris? laudes de Caesare dixi . . .“

et vers. 39 sq. „ . . . . . sed me iam, Care, nivali

sexta relegatum bruma sub axe videt.“

Utraque igitur epistula scripta est paullo post Augusti mortem, prior autumnus a. 767/14 posterior hieme a. 767/14—768/15. Ex illa cognoscimus Ovidium plenos tum quinque annos in Scythia versatum esse, ex hac sextam hiemem sub axe nivali degere. Inde efficitur (tantum enim temporis poetam consentaneum est in carmine illo componendo insumpsisse, etsi nuntium de morte imperatoris Augusti intra paucos menses per totum orbem terrarum pervulgatum esse pro certo habeo) mense Octobri anni 762/9 hunc iam in Scythia fuisse, igitur mense Decembri a. 761/8 Roma profectum.

Dixerit quispiam — et sunt Massonus alique ea argumentandi ratione usi — verba illa „in Scythia“ non adeo arguenda esse, Ovidiumque quotiens de longinquitate exsilii quereretur, etiam itineris menses temporis exsilii addidisse, nimium potius quam parum temporis quinquenni illa Olympiade comprehendentem. At exsilii quidem annis menses itineris semper adnumeravit, cfr. Trist. IV. 6; ex P. I. 8 alibi. Verum illis locis cum scribit: Ut careo vobis . . . Ut patria careo . . . ipse significat non totidem esse commorationis Scythicae quot totius exsilii annos. Denique illud „nimium potius quam parum“ etiam opponere licet contra Massonum.

His enim locis, Trist. IV. 8, 33 sq.

„Iamque decem lustris omni sine labe peractis

parte premor vitae deteriore meae“

et Trist. IV. 10, 95 sqq. „postque meos ortus Pisaea vinctus oliva

abstulerat decies praemia victor equus,

cum maris Euxini“ et q. sq.

et Ibid. v. 1

„Tempus ad hoc, lustris bis iam mihi quinque peractis“ et q. sq.

his igitur locis cum ipse testetur, quinquaginta se annos natum in exilium missum esse, cumque constet a. d. XIII. Kal. Apriles a. 711/43 eundem natum, non solum illud inde colligendum videtur post d. XIII. Kal. Apr. a. 761/8 relegatum esse, verum etiam hoc omnes facile concedere confido tres illos locos — praesertim si solitum esse poetam statuamus in annis computandis modum excedere — ita explicari aptissime, si deteriore partem vitae ipso a. 761/8 initium cepisse illis indicaverit; etsi negari non potest non necessario eos locos tam anguste accipiendos esse, ut de anno quinquagesimo altero vitae eius intellegi nequeant. Atque etiamsi ea quae adhuc attuli argumenta, contraria interpretandi ratione ab adversariis sublata, omittamus, unum restat quo sententia nostra firmiter stabiliatur. Nam singulorum Trist. librorum tempora computantes, si a. 762/9 initium eorum factum esse censuerimus, multas existere videmus difficultates quae priore a. 761/8 adhibito omnes tollantur.

Ac quod huius disputationis est fundamentum, rectissime Meyerus ex v. 51 sqq. ep. 9. III. ex P. libri collegit Tristium libros temporum ordine quo epistulae scriptae sunt accurate observato, pro se quemque, editos (cfr. Trist. V. 1 init.), contra trium priorum ex P. librorum epistulas plane neglecto chronologico inter singulos ordine in unum opus (cfr. I. 1, 2; III. 9, 54) collectas Romamque ut ederentur missas, quartum denique ex P. librum ultimo loco emissum esse, spatio longiore interiecto. Idem vero homo doctus in una re erravit, quod illam legem nimium premens vel singularum cuiusque Trist. libri epistularum ordinem plane chronologicum esse opinatus est, qua re ipsam de initio exsilii Ovidiani ratiocinationem perturbavit. Sequitur enim ex ipsorum librorum natura, in quibus etiam aequales vituperarunt, quod idem argumentum eadem omnibus sententia esset (cfr. ex P. III. 9, 1), ut intra eiusdem libelli epistulas poetam studuisse quam maximam effingere varietatem putemus. Nam in Trist. libris edendis propositum huic erat, ut vere libros emitteret non nullius ordinis farraginem litterarum, quod discrimen esse inter Trist. et ex P. libros ipse ex P. III. 9, 51 sq. affirmat; universis quidem libellis, non singulis, ut postea, epistulis studia hominum affectabat. Atque epistulas ad uxorem, ad sodales, ad patronos, ad perfidos, ad invidum illum datas, item illas, quibus pericula itineris, hiemis Tomitanae frigora, incolentium mores, fabulas, alias quascunque res enarrat, quae per omnes libros consilio ita collocatae sunt, ut posterior quaeque a priore quam maxime et rebus tractatis et personis, quos alloquitur, differret, eas omnes eodem quo nunc exstant ordine minime potuisse scribi luce clarius est. Quod vel maxime cadere in primam et ultimam cuiusque libri epistulam vix est quod moneam. Illas primo oculorum obtutu apparet absolutis libris additas esse, quibus exordia et clausulae librorum continerentur. Itaque equidem plane non intellego, quo iure Meyerus ex Trist. IV. 1, 85 efficere sibi visus sit librum quartum iam quinto vel sexto post exsilii initium mense scribi coeptum esse, quia Ovidius in prima i. e., ut Meyerus vult, in vetustissima eius libri epistula „novum incolam“ agri Tomitani se nominaverit, quod illum non facturum fuisse censet, si quindecim menses Tomis habitasset. Nequaquam vero dubium esse potest, quin vel prima epistula absoluto toto libro quarto, ut pro exordio esset, addita sit a poeta, vel sexta eiusdem libri epistula ante illam composita, in qua scriptum videmus v. 19 sq.

„Ut patria careo, bis frugibus area trita est,  
dissiluit nudo pressa bis uva pede.“

Ergo novum incolam se esse altero post exsilii initium autumnio dicit, postquam totum annum et dimidium Tomis degerat.<sup>5)</sup>

Sed redeamus ad propositum, ut quibus annis singuli epistularum libri confecti sint definiamus. Atque primum Trist. librum scriptum in itinere et antequam Tomos perveniret absolutum esse supra exposuimus. Cuius libri primam epistulam tempore ultimam esse puto, nam extrema illa, quae leguntur:

„Nobis habitabitur orbis  
ultimus, a terra terra remota mea“

declarant nuper poetam advenisse Tomos; finge nautis, qui sarcinas eius „per Hellespontiacas aquas ad Miletida urbem“ apportaverant, libellum ut Romam perferrent datum esse.

Liber secundus a. 762/9 scriptus et Romam missus est; nondum enim confectum in Dalmatia Pannoniaque bellum erat, ut ex v. 169 sq. apparet:

„Sic adsueta tuis semper victoria castris  
nunc quoque se praestet, notaque signa petat.“

Atque v. 175 sq. „dimidioque tui praesens et respicis urbem,  
dimidio procul es saevaue bella geris“

legum curam significari volunt, quam illa ipsa aestate Augustus in se susceperit lege Papia Poppaea de maritandis ordinibus lata.

Tertium librum statim post alterum vere 763/10 Romam missum esse omnes consentiunt excepto Loersio, qui 764/11 confectum esse contendit; qui quidem, cum initium Ovidiani exsilii ad a. 762/9 referret, illud spatium inter profectionem Ovidi et editionem III. libri plane necessarium — constanter sibi — iudicavit. Nam etsi scribendi facilitatem in Ovidio quam maximam fuisse iudicamus, tamen nullo modo cum Meyero statuendum videtur, secundum libr. Trist., qui tam accurate perpolitus sit atque dispositus artificiose, nullis fere quae pro causa dici poterant rebus praetermissis, et in quo omnem spem salutis posuerit, eum intra paucas hebdomades potuisse a poeta conscribi. Qui etiamsi, postquam Tomos advenit, nulli alii rei nisi litteris scribendis operam dederit neque ulla re, quod nova in terra, novo sub caelo, incognitos inter homines versaretur, abstractus a scribendo sit, secundum illum librum et quattuordecim libri III. epistulas (sunt 1366 versus) vix putandus est intra quattuor menses<sup>6)</sup> composuisse; praesertim cum eis fidem habeamus, quae vel l. III. epist. 3 uxori scribit, aegrum se fuisse et neque caelum pati neque aquis adsuescere posse, vel in fine epistulae extremae eiusdem libri affirmat sermone Getico se scribere et versus facere. Confectum autem vere a. 763/10 librum tertium esse imprimis ex ep. 12, 47 sqq. elucet, quibus in versibus interpretandis Meyero plane assentior. Idem sequitur ex epist. 13, quam in a. d. XIII. Kal. Apr. quem primum Tomis<sup>7)</sup> peregit diem natalem scripsit. Et cum neque in prima neque in ultima epistula, quas confectis ceteris additas libello esse supra diximus, ullum posterioris temporis indicium exstet, paullo post natalem a. 763/10 librum editum esse iure statuemus. Hoc enim in Tristibus tenendum est singulos libros continuo postquam ultima epistula composita erat nullo intermisso spatio esse vulgatos; obrui oblivione poeta exsul nec voluit nec debuit.

Plus vero temporis consumpsit in libro quarto. Huius enim altera epistula:

„Iam fera Caesaribus Germania, totus ut orbis,  
victa potes flexo succubuisse genu“ et q. sq.

mea quidem sententia non recte explicatur, nisi statuimus nuntium de Tiberi in Germaniam expeditione anni 763/10<sup>8)</sup>, cum ea verba scriberet, iam in Thraciam perlatum fuisse. Atque eiusdem anni autumnus epist. 6 compositam esse supra exposuimus; hiemi autem 763/10—764/11 adsignanda est epist. 7, sicut ex initio cognoscimus:

„Bis me sol adiit gelidae post frigora brumae  
bisque suum tacto Pisee peregit iter“ ...

ex quo tempore Romam reliquit. Scripta igitur est inter mensem Decembr. 763/10 et mensem Mart. 764/11; nam in signo Piseis sol usque ad diem 21 mens. Mart. commoratur. Quocirca cum alia quae ad certum tempus referri possint indicia in libro non inveniuntur, editus ille est initio anni 764/11. Quod autem totus annus inter libros III. et IV. intercesserit, eius rei ipse libr. IV. 1, 99 sqq. causam protulit, cum scriberet:

„Cum vice mutata qui sim fuerimque recorder  
 . . . . .

saepe manus demens studiis irata sibi  
 misit in arsuros carmina nostra focos.

Atque ea de multis quoniam non multa supersunt,  
 cum venia facito, quisquis es, ista legas!“<sup>9)</sup>

Denique annum fere spatium etiam inter IV. et V. libros interfuit. Quinti enim epist. 3 ad concelebranda Liberalia (a. d. XVI. Kal. Apr.) et ea quidem anni 764/11, epist. quinta ad diem natalem uxoris (aestate eius anni, uti efficitur ex v. 9: araque gramineo viridis de caespite fiat) congratulandum scriptae sunt. Atque ex epistulae 10 initio: „Ut sumus in Ponto, ter frigore constitit Hister“ apparet hieme a. 764/11—765/12 ineunte eam compositam esse, cui hiemi etiam epistulam 13 haud immerito attribueris (cfr. v. 6 non modico frigore laesit hiems). Editus autem liber est antequam de triumpho ex Germania a. d. XVII. Kal. Febr. 765/12 acto<sup>10)</sup> in Thraciam nuntius pervenit, cuius triumpho epistulis alterius ex P. libri saepius mentio fit.

In libris ex P. edendis supra diximus poetam, plane aliud consilium secutum, primo singulas epistulas Romam misisse ac postea tres priores quidem libros colligendos atque vulgandos mandasse Bruto amico. In eis „Tomitanae iam non novum incolam terrae“ se nominat, iam aspero caelo et frigore hiemis adsuefactus erat, iam Getice Sarmaticeque loqui didicerat immunitateque vectigalium ac tributorum a Tomitanis donatus erat. Ad Brutum autem missi sunt anno 766/13; nam IV. libri epistula 4 ad Sextum Pompeium data est antequam consulatum is Kal. Ian. a. 767/14 iniret. Illos num continuo Brutus ediderit, infra ubi quis Brutus ille fuerit considerabimus erit diiudicandum. Ceterum prorsus „sine ordine“ compositos esse haud affirmaverim; temporum quidem ordinem servatum non esse concedimus, nam alteram libr. I. epistulam quam hieme 765/12—766/13 ineunte scriptam esse intellegamus ex vers. 25 sq.

„Hic me pignantem cum frigore cumque sagittis  
 cumque meo fato quarta fatigat hiems“

nescio an ultima totius operis epistula sit. Atque paucis mensibus ante, autumno a. 765/12, eiusdem libri primi epistula 8 composita est, id quod ex v. 27 sq. elucet:

„Ut careo vobis, Stygias detrusus in oras,  
 quattuor autumnos Pleias orta facit.“

At gravissimae librorum II. et III. epistulae, quae paullo ante triumphum mense Ian. 765/12 per urbem ductum vel paullo post scriptae sunt, non sine consilio in medio totius operis loco positae videntur: et ante triumphum quidem II. 8; (cfr. v. 39 sq.

„Sic fera quam primum pavido Germania vultu  
 ante triumphantis serva feratur equos“)

post illum II. 1, cuius initium est:

„Huc quoque Caesarei pervenit fama triumpho“...

II. 2 (cfr. v. 75 Adde triumphatos modo Paeonas); II. 5 (cfr. v. 27 nuper, ut huc magni pervenit fama triumpho); III. 1 (cfr. v. 133 cum status urbis erit, qualem nunc auguror esse); III. 3 (cfr. v. 85 sq. tempus quod quaerimus instat cunctaque laetitiae plena triumphus habet); III. 4 (cfr. v. 3 sq. utque suo faveas, mandat, Rufine, triumpho...). Videmus exsulem omnem salutis spem in laetiore ex illo triumpho animo imperatoris posuisse; ea spe deiectus, cum insuper Augustus mortuus esset, animus plane fractus erat, cuius rei in libri IV. epistulis vestigia plurima inveniuntur.



Quem librum utrum omnino ipse ediderit necne plane dici non potest, cum neque quae exordio sit epistula neque quae opus claudat, sicut in ceteris libris, in hoc reperiantur. Primo scripta quantum nobis quidem iudicare licet epistula quarta est, antequam Sex. Pompeius consulatum iniret i. e. sub finem a. 766/13. Illam excipit epistula quinta ad eundem iam consulem initio a. 767/14 missa. Tum compositae sunt eiusdem anni aestate epistula 10 (cfr. v. 1 Haec mihi Cimmerico bis tertia ducitur aestas...), autumno epistula 6 (cfr. v. 5 sq. In Scythia nobis quinquennis olympias acta est: iam tempus lustris transit in alterius), eodem fere tempore 8 (cfr. v. 63 et modo, Caesar, avum, quem virtus addidit astris), proxima hieme ep. 13 (cfr. v. 39 sexta bruma) et longiore intermisso spatio, aestate a. 769/16, epistula 9. Facile conicias post mortem Ovidi quarto libro omnes quas Romam ex Ponto miserat epistulas, quae nondum prioribus libris continerentur, et collectas et in vulgum missas esse ab amico quodam, etiam si quae iam ante tres priores libros editos scriptae erant; quae de coniectura mea infra ubi de Severo agetur dicendum erit.

Restat ut quae adhuc disputavimus in unum conspectum conferamus. Ovidius Roma profectus est sub finem a. 761/8 et vere ineunte a. 762/9 Tomos advenit. Liber I. Trist. eodem vere 762/9, II. aestate eiusdem anni 762/9, III. vere a. 763/10, IV. initio a. 764/11, V. sub finem eiusdem a. 764/11 editi sunt. Epistulae librorum ex P. I.—III. maximam partem vere et aestate 765/12 scriptae, tres illi libri exeunte anno 766/13 Romam missi sunt. Libri IV. ex P. epistulae inde ab autumno 766/13 usque ad a. 769/16 compositae sunt; paullo post Ovidius mortuus est.

Veniamus nunc ad alteram disputationis nostrae partem, quae est de vitis eorum ad quos singulae Trist. et ex P. epistulae datae sunt. Initium autem capere aptissimum visum est ex Ovidi familia. Videmus ex Trist. IV. 10 fratrem, „qui tribus ante quater mensibus ortus erat,“ immatura morte a. 730/24 ei abreptum itemque paucis annis antequam ipse in exilium missus est patrem, senem XC annorum, eumque subsecutam matrem diem supremum obisse. Atque unam quam ex prima vel altera uxore poeta habuit filiam, quae eum iam ante exsilii tempora (non uno ex coniuge) bis avum fecerat, una cum marito absentem fuisse anno 761/8 ex Trist. I. 3, 19 colligitur:

„Nata procul Libycis aberat diversa sub oris,  
non poterat fati certior esse mei.“

Alterius nomen mariti Seneca memoriae tradit, cum dial. II, 17 dicit: „In senatu flentem vidimus Fidum Cornelium, Nasonis Ovidi generum“. Hos igitur omnes, ad quos nulla ex nostris libris epistula missa sit, hoc loco praetermittendos putavi. Sola igitur uxor ex tota familia, tertiam quam duxit, Romae relicta erat quam querellis lamentationibusque adire posset. Ad hanc octo epistulae datae sunt: Trist. I. 6; III. 3; IV. 3; V. 2, 1—44; 11; 14; ex P. I. 4; III. 1; quibus uxorem partim ob constantem fidem ad caelum tollit Penelopaeque exaequat, partim, quod non omne studium ad sortem ipsius mitigandam conferre videretur, vel lenius vel apertius reprehendit. Quae quo iure ab hoc vituperata sit, ac propinquitate et amicitia cum nobilissimis familiis Romanis coniuncta utrum non potuerit maritum adiuvare an noluerit, nos hoc tempore diiudicare vix possumus. Erat autem orta e gente Fabia atque familiariter utebatur et Marcia, uxore P. Fabi Maximi, et illius matre Atia minore, matertera Atia maiore, quae erat Augusti mater, Liviaeque principis uxore; vide ex P. I. 2, 136 sqq.

„Ille ego, de vestra (Fabiorum) cui data nupta domo est.

Hanc probat et primo dilectam semper ab aevo  
est inter comites Marcia censa suas,  
inque suis habuit matertera Caesaris ante“...

et Trist. I. 6, 25 sqq.: „Femina seu princeps omnes tibi culta per annos  
te docet exemplum coniugis esse bonae,  
assimilemque sui longa assuetudine fecit“ . . .

et ex P. III. 1, 75 sqq. Res familiaris huic cum maritus relegaretur deminuta non est (Trist. V. 11, 15), neque quod ille iram imperatoris moverat, ipsi detrimento fuit. Petebatur quidem non semel a mariti inimicis, imprimis ut opinor a fero illo „omniumque crudelissimo eius hoste“, cuius opera imperatori suspectum se esse Trist. II. 77 sq. queritur, quem et Ibidis conviciis perstrinxit et Trist. III. 11; IV. 9; V. 8 fortasse etiam ex P. IV. 3 hominem ingratum improbum invidum causamque fugae sibi esse compellat. Eadem vero a multis mariti amicis multis modis adiuta est, cum ab aliis tum in re familiari administranda ab avunculo quodam, cui Rufo cognomen erat. Ille quo tempore II. ex P. liber scriptus est in vivis erat Fundisque agros et villam possidebat. Huic Ovidius quod cura fideli absentis mandata perficeret neque ullum onus ferre gravaretur ex P. II. 11 gratias agit. Eiusdem lacrimae et solacia, quibus Roma proficiscentem prosecutus esset, epistula illa laudantur, sed cum nihil praeterea de eo tradatur, quis fuerit plane ignoratur. Nullo enim fundamento nititur, quod Woelfelius coniecit, fuisse Rufum L. Pinari Scarpi filium aliquem eundemque sororis C. Iuli Caesaris nepotem. Hic autem quaecunque gente ex multis illis, quae Rufi cognomine utebantur, natus fuit, impeditus non est, cum maritus relegabatur filiae ex sorore natae, quominus illam tueretur. Ea non minus, quam ante mariti poenam, postea quoque ab omnibus diligebatur. Cuius rei etiam aliud testimonium afferre possumus. Filia enim eius ex matrimonio, Ovidiano antecedenti, P. Suillio Rufo ex nobili familia iuveni<sup>11)</sup> nupsit: quod quidem factum esse vitrico iam in exsilium misso, quamquam nusquam apertis verbis traditur, tamen verisimillimum est, primum quod Ovidius uxorem suam eamque illius matrem Roma discedens reliquit iuvenem (cfr. ex P. I. 4, 47), unde concludendum est tenera illo tempore aetate fuisse filiam; deinde quod in una epistula ex exsilio ad Suillum data, ex P. IV. 8, qua eius litteris respondet, mentionem facit matrimonii, in quod „paene suam filiam“ accepisset, unde haud immerito coniecisset epistolam illam quasi gratulatoriam quandam paulo post nuptias missam esse. Qua in epistula, quam post mortem Augusti esse scriptam ex v. 63 apparet, cum de necessitudine quadam, quae inter Suillum et Germanicum Caesarem intercesserit, poeta verba faciat, sequitur fuisse Suillum quaestorem illum Germanici, quem Tac. Ann. IV. 31 commemorat. De eo quae scimus omnia contulerunt Waddington fast. des provinces Asiatiques I. pag. 128 Nipperdeiusque ad Tac. Ann. I. 1., ad quos qui de re certiores fieri volunt delegare satis habemus. Nam mortuo demum Ovidio Caligulae Claudique temporibus ille vir rebus publicis operam dedit. Functus est consulatu, etsi de anno nihil certi constat<sup>12)</sup>, pro consule Asiam administravit sub finem imperii Claudii a. 805/52 vel 806/53; Tiberi vero ac Neronis odium in se contraxit, nam a Tiberio quidem relegatus est a. 777/24, „convictus pecuniam ob rem iudicandam cepisse“ (Tac. Ann. IV, 31). Quod autem saevus accusandis reis et venalis fuerit (ibid. XI, 1; 4 sq.), iterum „extrema senecta“ a. 811/58 Baleares in insulas pulsus est, quod exsilium „copiosa et molli vita“ aliquot annos hominem pertulisse Tacitus Ann. XIII, 42 sq. auctor est. Quae omnia optime ad id, quod de aetate eius supra conieçimus, quadrare nemo est quin videat. Temporibus Ovidianae relegationis adulescens fuit viginti fere annorum et quaesturam a. 767/14 suo tempore gessit annos fere natus quinque et viginti.

Quo imprimis vero deprecatore in gratiam imperatori se rediturum exsul sperabat, orto ipso ex familia uxoris, postremo loco nominandus est Paullus Fabius Q. F. Maximus. Datae ad hunc sunt ex P. I. 2 et III. 3, fortasse etiam III. 8; contra I. 5, quam Nipperdeius, et I. 9, quam Merkelius (prolus. ad Ib. p. 392), Nipperdeius, Teuffelius, quae Maximo cuidam inscriptae sint non addito nomine gentilicio, ad eundem missas esse putarunt, iure ac merito ab Alex. Riesio Maximo Cottae adsignantur,

quod facile est demonstratu. Cottam enim, quem infra, ubi eius vita enarrabitur, multis annis aetate Ovidi fuisse inferiorem accuratius demonstrabimus, poeta arta semper amicitia complexus est familiariterque in his epistulis alloquitur; at cum scribebat ad Fabium Maximum, virum et aetate maiorem et magna apud imperatorem auctoritate florentem, sermone utebatur multo summissiore. In hunc nequaquam cadunt quae de illo aptissima sunt verba quae leguntur ex P. I. 5, init: „Ille tuos quondam non ultimus inter amicos“ . . . et in fine eiusdem epistulae: . . . „vos . . . nunc quoque de nostra morte tacere reor“; idemque Cotta — numerandus videtur inter pueros illos Horatianos, qui fronde comas vincti cenabant et carmina dictabant, id quod eum fecisse legimus ex P. III. 5, 37, saepius — versus illos temptasse putandus est, quorum mentio fit I. 5, 57:

„vos ut recitata probentur  
carmina Pieriis invigilate choris.“<sup>13)</sup>

Ex P. I. 9 autem non Fabio sed Cottae scriptam esse ex uno v. 29 efficitur: „Maximus . . . cumque suis fratris vires adhibebit“ . . . nam Cottae frater ille intellegendus est Messalinus, qui Ovidio amicissimus erat, contra Paulli Fabi fratrem Quintum poetae coniunctum fuisse omnino non constat neque ullo loco ab eo nominatum videmus. Porro Celsum, cuius mortem eadem epistula deplorat, facilius crediderim cum Messallae filiis familiariter vixisse quam cum Fabiis, quorum e gente quemquam studiis poetarum fuisse nemo tradit praeter Iuvenalem, qui uno loco (7, 94) Fabium nescio quem in numero Maecenatum Cottarum ceterorumque refert, quem hunc fuisse Paullum Weidnerus nescio an ob nullam causam statuerit nisi quod Ovidi epistulam ad eum missam esse falso opinatus est. Denique quod in eadem epistula queritur v. 13 sq.

„Cum domus ingenti subito mea lapsa ruina  
concidit . . .

adfuit ille mihi, cum me pars magna reliquit“

scribere licuit Cottae qui continenter fidem poetae servaret, non Fabio qui tristissima illa nocte proficiscenti exsuli non adfuisset. Harum igitur epistularum si neutram ad Fabium missam esse persuasum est, de epistula 8 ex P. III., quam Riesius ipsam Maximo Cottae inscriptam esse iudicavit, dubitari posse concedimus. Illam ad Fabium datam esse consentiunt Merkelius, Woelfelius, Teuffelius, Nipperdeus eosque non omni quidem dubitatione sublata secutus Dinterus. Ex quibus Woelfelius versum 7

„Purpura saepe tuos fulgens praetexit amictus“

negat de Cotta dici potuisse. At Cotta quamquam tunc consulatum nondum administravit, verba illa poetae non ita premere cogimur. Gravius rei argumentum potuit afferri, allatum adhuc est a nullo. Nam Cottam, cum in prioribus ex P. epistulis uno Maximi, in posterioribus II. 8; III. 2 et 5 semper Maximi Cottae cognominibus appellari videamus, G. Henzenus haud inepte coniecit tempore illo, quod inter eas epistulas intercesserit, in gentem Aureliam adoptatum esse. Epistulam igitur III. 8, quoniam qui eam accepit Maximus nominatur, iure concludi videtur ad alium hominem missam esse; ceterum cum temporum ordinem in his libris servatum non esse ostendimus, nihil obstat quominus III. 8 ante II. 8 compositam esse censeamus. Verum enim vero quia ex epistula illa plane nihil discimus nisi Ovidium amico pharetram telorum Scythicorum plenam misisse, operae pretium non est indagare, cui illam dono dederit. — Ex Tristium epistulis nullam Fabio inscriptam esse pro certo affirmamus; nam V. 2, quam Matth. Kochius ad eum missam coniecit, priorem partem (usque ad v. 44) uxorem Ovidi (cfr. v. 39 sq. „si proxima quaeque relinquunt . . . tu quoque“ . . .), posteriorem Augustum, „arbitrum imperii“ (v. 47) attingere luce clarius est.

Solae igitur duae ex P. epistulae I. 2 et III. 3 hoc loco in iudicium vocandae sunt. Ex his apparet rebus forensibus Fabium operam dedisse atque in causis agendis efficere aliquid potuisse; nam

„facundia Romanae linguae“ nominatur, cuius vel „vox auxilio trepidis solet esse reis“ vel „domus adueta est supplicibus adiuvandis“ vel „doctae dulcedine linguae“ etiam Augusti in Ovidium odium mitigari possit, dummodo „mite patrocinium difficilis illius causae“ in se suscipere velit, quod quo tempore haec epistolae scriptae sunt, cum „cuncta laetitiae plena triumphus“ haberet, quam primum exsuli exspectandum erat. Satis igitur humilibus et supplicibus verbis in epistulis usus est, semper enim Fabium „coluit“ atque inter eos habuit „quos est veneratus amicos“. Festis diebus inter convivas eius esse solebat, carmen nuptiale eidem cecinerat, ipse Fabius interdum „miranti Ovidio scripta sua legebat“ (orationes opinor in iudicio senatue habendas<sup>13</sup>) atque, id quod supra diximus, ut uxorem duceret permisit e gente sua suaeque uxori Marciae semper gratam et acceptam. Marciae autem nomine tradito etiam quis ipse fuerit constat, ex quo tempore titulus Paphius C. I. Gr. 2629 repertus est; nam antea Massonus vetustioresque (Glandorpius Lipsius alii) Paullusne Fabius an Quintus frater Ovidio fuisset coniunctus nesciebant. Est autem hic: *Μαρκία, Φιλίππου θυγατρί, ἀνεπιᾶ Καίσαρος θεοῦ Σεβαστοῦ, γυναικὶ Παύλου Φαβίου Μαξίμου, Σεβαστῆς Πάφου ἡ βουλή καὶ ὁ δῆμος*. Marciam igitur, filiam Philippi, cuius Tacitus Ann. III, 72 mentionem facit, Atiaeque minoris, Augusti materterae, de quibus Ovidius Fast. VI, 801 sqq. scribit:

„clari monumenta Philippi

aspicis, unde trahit Marcia casta genus . . .

nupta fuit quondam matertera Caesaris illi“ et q. s.

in matrimonium duxerat Paullus Fabius Maximus, qui in Actis frat. Arval. (ed. Henz. pag. XXIX sq.) et apud Cassium Dionem (in indice libr. LIV) appellatur P. Fabius Q. f. Maximus. Hic consul fuit a. 743/11, a. proximo 744/10 frater eius natu minor Q. Fabius Maximus Africanus, qui saepius cum hoc confunditur<sup>14</sup>). Horum pater Q. Fabius Maximus admodum adulescens a. 695/59 C. Antonium, pro consule Macedonia functum, repetundarum accusavit (cfr. Cic. in Vat. 11 § 28 Schol.), legatus a. 708/46 C. Caesarem in Hispaniam secutus est pugnaeque ad Mundam commissae interfuit, consul denique factus est a. 709/45, cuius extremo die constat mortuum eum esse. Is erat filius Fabi illius perditissimae hominis vitae, de cuius moribus tradiderunt Cicero quaest. Tusc. I. § 81 et Valerius Maximus III. 5 § 2, nepos Q. Fabi Maximi Allobrogici cos. 633/121, pronepos Q. Fabi Maximi Aemiliani cos. 609/145, qui erat frater P. Corneli Scipionis Africani Minoris (cfr. C. I. L. I. pag. 178).

Ex huius Paulli honoribus nullus plane constat nisi consulatus, quo functus est a. 743/11, una cum Q. Aelio Tuberone, multis ille quidem et titulorum et scriptorum testimoniis confirmatus, ex quibus afferre placet titulum C. I. L. I, 799: Paul. Fabio Q. Aelio T(uberone); 800: cos. Fab. [Max. A]elio Tuberone; pag. 210 „obicit VI. Eidus Octobr. Paulo Fabio Maximo Q. Aelio cos.“ . . . atque mutato nominum ordine Plin. n. h. VIII, 17: „Q. Tuberone Fabio Maximo cos. IV. Nonas Maias“ . . . Frontin. de aqu. urb. Rom. II, 99: „Q. Aelio Tuberone Paulo Fabio Maximo cos.“ ibidem e. 100. 104. 109 saepius; Cass. Dion. 54, 32: *ἐπὶ τε Κύντιου Αἰλίου καὶ ἐπὶ Παύλου Φαβίου ὑπάτων* et q. s.

De proconsulatu provinciae Asiae repertus est Eumeniae in urbe Phrygiae titulus C. I. Gr. 3902 b (vol. III. p. 25 sq.): [*πρὸ ἐννέα Καλανδῶν τῶν Ὀκτωβρίων γενεθλίου ἡμέρας Καίσαρος [ἐπεὶ] δὲ ἐψηφισμένον [ἐστὶν εὐχαριστῆσαι τῷ τὰς μ[ε]γ[ίσ]τας εὐρόντι τιμὰς ὑπὲρ Καίσαρος δεδόσθαι Μαξίμῳ τῷ ἀνθυπάτῳ ὀνομαστῆ εὐχορέεσθαι ἐν τῷ γυμνακῷ ἀγῶνι τῷ ἐν Περγάμῳ τῶν Ῥωμαίων Σεβαστῶν (ludi Augustales), ὅτι στεφανοῖ ἢ Ἀσία Παῦλον Φάβιον Μαξίμου εὐσεβέστατα παρευρόντα τὰς εἰς Καίσαρα τιμὰς ὡσαύτως δὲ ἀναγορεύεσθαι καὶ ἐν τοῖς ἀγομένοις κατὰ πόλιν ἀγῶσι τῶν Καισαρῶν ἀναγραφῆναι δὲ τὸ δελτογράφημα τοῦ ἀνθυπάτου καὶ τὸ ψηφισμα τῆς Ἀσίας ἐν στήλλῃ λευκολίθῳ . . . . καὶ τεθῆναι ἐν τῷ τῆς Ῥώμης καὶ τοῦ Σεβαστοῦ τεμένει . προνοῆσαι δὲ τοὺς καθ' ἔτος [ιερεῖς] ἐνάστους, ὅπως ἐν ταῖς ἀφηγουμέναις τῶν διοικήσεων πόλεσιν ἐν στήλλαις λευκολίθοις ἐγγραφῶ[χ]θῆ, τό τε δελτο-*

γράφημα τὸ Μαξιμόν καὶ τὸ τῆς Ἀσίας ψήφισμα, αὐταὶ δὲ αἱ στήλαι τεθῶσιν ἐν τοῖς Καισαρῆσι . . . .  
 ex quo titulo elucet fuisse Fabium, cum pro consule Asiam administraret, urbibus provinciae auctorem Augusti natalis rite concelebrandi. Ex eodem proconsulatu exstant etiam quattuor nummi, Hierapoli Phrygiae excussi, quorum tres imaginem ipsius et nomen impressa habent. Describo Waddingtonem secutus fast. des prov. As. I. pag. 97

Φαβίος [Μ]αξιμ[ος] tête nue de Fabius  $\mathfrak{R}$  *Ιεραπολειτων ΒΡΥΩΝ*.

Φαβίος . . . . . même tête  $\mathfrak{R}$  *Ιεραπολειτων ΤΡΥΦΩΝ*.

Φαβίος Μαξιμος même tête  $\mathfrak{R}$  *Ζωσιμος Φιλοπατρις Ιεραπολειτων [χ]αρας*.

Σεβαστος tête nue d'Auguste  $\mathfrak{R}$  *Ζωσιμος Φιλοπατρις Ιεραπολειτων[ων] χαρας*.

cf. Momms. Hermae vol. III. p. 268—273.

Ac primum quidem quaerendum est, quibus annis Fabius Asiam administraverit. (Solebant autem Augusti temporibus, quibus provincia obtigerat, eo munere fungi inde ab Kal. Iul. usque ad eandem proximi anni diem.) De hac re cum plane nihil traditum sit, Mommsenus l. l. statuit in provinciam hunc profectum esse a. 749/5, exacto illo quinquennio quod lege Pompeia sancitum erat renovata ab Augusto cum provinciarum ordinem a. 727/27 constitueret.<sup>15</sup>) Cautius idem postea rem tractavit, cum Staats-Recht II p. 250 adnotaret, decretam esse Fabio Asiam anno fere 749/5; contra Nipperdeius (ad Tac. Ann. I, 5) initium proconsulatus Fabiani omnino in incerto reliquit, Waddingtonem (fast. p. 97) opinor secutus qui Paullum Fabium ut in consulatu ita in proconsulatu Asiae antecessisse C. Asinio C. f. Cn. n. Gallo verisimillimum esse censet. Is autem, filius C. Asini Pollionis, IIIvir monetalis post a. 731/23, consul a. 746/8, quod anno 748/6 Asiam obtinuit, documento nobis est spatium illud quinquennale non semper observatum esse ab imperatore. At quoniam et ab anno 750/4—751/3 certum est administrasse Asiam C. Iulium Antonium, qui in consulatu a. 744/10 P. Fabium exceperat — ex provincia enim reversus Romae mortuus est a. 752/2 —, et eorum qui proximis annis pro consulibus Asiam obtinuerint, plura traduntur nomina<sup>16</sup>), et Paulli fratri Q. Fabio eos. 744/10 Africam, alteram provinciam senatoriam atque consularem, a. 750/4 decretam esse verisimillimum est: non multum a vero aberrabimus, cum quam priorem Mommsenus de anno 749/5 protulit sententiam eam sequemur, quamquam neque ante annum 748/6 Fabio, quippe qui propinquus fuerit imperatori, neque, id quod Burghesius voluit<sup>17</sup>), post annum 751/3 demum provinciam potuisse decerni negaverim.

Restat ut pauca addam de nummis quos supra attuli Hierapolitanis, de quibus Mommsenus l. l. elegantiore quam verisimiliore protulit coniecturam et qua aliqua ex parte, ut proconsulatum Paulli ad a. 749/5 referret, motus mihi quidem videatur, quod qui illam amplexus erit is statuere non poterit antecessisse illum C. Asini Galli proconsulatu. Opinatur autem datam illam proconsulibus potentissimarum duarum Asiae et Africae provinciarum potestatem imaginis ipsorum nominisque sui nummis incudendi circumscriptam fuisse illius inde a Tiberi Rhodum in insulam secessione a. 748/6 usque ad relegationem Iuliae imperatoris filiae a. 752/2 quinquennii finibus, eandemque non pertinuisse nisi ad quinque, quantum nos scimus<sup>18</sup>), et eos quidem nobilissimos ex senatorum ordine viros omnesque aliqua propinquitate cum imperatore — integra etiam tum domo illius — coniunctos. Institutum autem illud esse eo consilio ut principibus civitatis societas quaedam rei publicae administrandae concessa videretur, qua re monarchia quae dicitur Caesarea paullatim tolleretur liberaeque rei publicae forma restitueretur. At cum finem illius instituti, dico proconsulatum Asini Galli, falso ad relegationis Iuliae filiae annum ab eo dilatatum esse constet, ad definiendum Paulli Fabi proconsulatus annum coniectura quamvis nobis arrideat uti minime licet.

Itaque si de proconsulatus anno nihil certi affirmari potest, de obitus anno dubium nullum est. Nam hunc unum imperatorem Augustum, cum a. 767/14 paucis ante ipsius mortem mensibus ad

visendum Agrippam Planasiam vectus erat, comitatum et exstinctum non multo ante imperatoris excessum i. e. ante d. XIV. Kal. Sept. Tacitus Ann. I, 5 memoriae tradidit.<sup>19)</sup> Quod idem Ovidius confirmat ex P. IV. 6, 9 sqq.

„Certus eras pro me, Fabiae laus, Maxime, gentis,  
numen ad Augustum supplice voce loqui:  
occidis ante preces“ . . . et q. sq. et v. 9  
„Cooperat Augustus deceptae ignoscere culpae  
spem nostram terras deseruitque simul.“

Quo autem mense mortuus sit ex Act. frat. Arv. definitur. Nam postremo loco in eis (Henz. p. XXIX) commemoratur pridie Idus Maias; verum non adfuit eo die in collegio sed et ipse per tabellas cooptavit et idem fecerunt Imp. Caesar Augustus, Tiberius Caesaris Aug. fil., Germanicus Tib. fil.; unde non iniuria concludimus ipsis mensis Mai diebus factum esse iter Planasianum. Quod si recte coniecimus mense Maio vel Iunio Fabius mortuus est.

Referunt ad hunc praeter ea quae adtulimus titulum C. I. L. II, 2581 ad Lucum Augusti, oppidum Hispaniae Tarraconensis, repertum: [Imp.] Caesari [Paullus Fabius] Maximus legat. Caesaris.<sup>20)</sup> Quo de titulo quod Waddington l. l. scribit: „Fabius accompagna Auguste en Espagne comme légat, lorsqu'il y alla en 727; car ainsi que le fait remarquer Mommsen, l'inscription de Lugo ne donne pas à l'empereur le titre d'Auguste, qu'il ne reçut en effet qu'en 727“ in ea quidem re erravit cum Caesarem Octavianum, antequam Augusti cognomen accepisset, in Hispaniam profectum esse statuit. Constat enim Augustum appellatum esse Octavianum a. d. XVII. Kal. Febr. ipso VII. et Agrippa III. cos. a. 727/27<sup>21)</sup>, profectum autem in Hispaniam autumno eiusdem a. 727/27 (cfr. Vell. II, 90; Dio 53, 22; Suet. Aug. 26). Aestate enim anni specie faciendae in Britanniam expeditionis, quam deprecari Britannorum legati sunt, in Gallia australi versabatur Britannisque ibi in deditionem acceptis Pyrenaeos transiit. Atque cum Suetonius tradat octavum eum et nonum consulatum inisse Tarracone, per annos 728/26 et 729/25 ibi commoratum esse elucet. Itaque si Fabius tum comes eius fuisset, huic titulo Augusti cognomen non deesset. Quae quamquam ita sunt, Nipperdeius, qui eius legationis annum plane in incerto relinquendum statuit, necesse non est sequi; nam terminus quidem datus est, ante quem hic in Hispania stipendia meritus sit<sup>22)</sup> i. e. ante d. XVII. Kal. Febr. a. 727/27.

Quod si ita esse constat, ne illud quidem quod Nipperdeius diiudicari posse negavit, quo hic functus sit munere, legati legionisne an pro praetore, dubium esse cuiquam poterit. Constat enim legionis legationem fere praetura vel ipso consulatu functos accepisse, quem utrumque honorem Fabio (anno 743/11 consuli) ante annum 727/27 per aetatem deferri non potuisse vix est quod moneam. Quocirca sic existimo pertinere titulum ad illos annos quibus Fabius prima stipendia meruit, quod vulgo factum est ante XXviratum vel continuo post, intra 18 et 21 aetatis annum, atque ex eo apparere certum quoddam munus, de quo sane nihil amplius traditum est, huic delatum fuisse ab imperatore, unde legati Imp. Caes. nomen habuit.<sup>23)</sup>

Exstant praeterea de Fabio titulus Paphius quem supra attuli, exaratus post a. 739/15 sicut ex cognomine *Σεβαστιῆς* apparet, quod cognomen a. 739/15 accepisse urbem Dio 54, 23 tradit, et alii duo Athenis reperti C. I. A. III. 1, 587 et 588, quorum posterior iam dudum C. I. Gr. 370 b publici iuris factus est. Nr. 587: *Ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρχαίου πάγου Παῦλλον Φάβιον Μάξιμον ἀρετῆς ἔνεκεν*; 588: *Ὁ δῆμος Παῦλλον Φάβιον Μάξιμον ἀρετῆς ἔνεκεν τῆς εἰς ἑαυτὸν*. Ex Paphio titulo intra annum 739/15 et consulatus annum 743/11 Cyprum ab hoc pro consule<sup>24)</sup> administratam esse Boeckhius effeci voluit, quam coniecturam Nipperdeius probabilem esse iudicavit, contra Waddington l. l. scribit: „Il est difficile d'admettre que dans ce cas le titre *ἀνθύπατος* ait été omis; ce serait à peu près sans

exemple.“ Profecto id unum titulo illo evincitur affectos esse Paphios beneficiis nescio quibus a Marcia imperatoris propinqua, eo opinor tempore quo ipse imperator Augustus calamitati eorum subvenit. Nullam enim equidem video causam, cur non eodem iure huic, quo ex Paphio titulo proconsulatum Cypri Boeckhiius tribuit, ex Atticis Aethiopiae proconsulatum tribuamus, id quod nemini adhuc venit in mentem.

Haec fere sunt quae de huius vita afferre potui, unde si quo anno natus sit computare conamur, ad annum fere 709/45 deducimur. Quem si amplexi erimus triginta tres annos natum hunc consulem factum esse statuemus, anno uno maiorem, quam ex Augusti rerum publicarum temperatione a. 727/27 facta primum licuit. Neque ob eam rem cuiquam dubitationem moveri puto, quamquam si qui propinquitate vel affinitate aliqua, sicut Paullus, cum domo imperatoris coniuncti erant, eos interdum vel ante legitimum annum honores curules accepisse non ignoro. Hunc enim cum ex Hispaniensi illo titulo (pag. XIV) iam ante annum 727/27 17 vel 18 annorum fuisse appareat, potius ante annum 709/45 quam post natum esse dixeris. Ad quam sententiam convenit quod de patre compertum habemus. Rectissime enim ex his Ciceronis verbis (in Vat. 11 § 28): „Nihilque Maximus fecit alienum aut sua virtute aut illis viris clarissimis, Paullis, Maximis, Africanis, quorum gloriam huius virtute renovatam non modo speramus, verum etiam iam videmus“ Burghesius coniecit, patrem Fabium illo tempore i. e. a. 695/59 admodum adolescentulum („giovinetto“) circiter viginti annorum fuisse; nihil igitur obstat quin filium eo quo statuimus anno sustulerit. Neque minus quae de Marciae uxoris eiusque parentum aetatibus scimus cum sententia nostra congruunt. Eodem enim fere anno, quo patrem huius, ipsum eiusdem socerum L. Marcium Philippum natum esse existimo; qui cum a. 705/49 tribunus plebis, praetor a. 710/44, consul suffectus anno 716/38 factus sit, potuit sane habere filiam generi aetate quam statuimus haud imparem. Neque obest sententiae Horati carmen IV. 1, quod circiter a. 739/15 compositum esse ex v. 6 apparet, quo versu Horatius circa lustra decem habere se dicit. Nam quod puer illic nominatur a poeta, eo non cogimur ut cum M. Kochio illum fuisse statuamus 20 annorum; etiam tricenarius ita appellari potuit atque in ipso carmine de forensi Fabi opera mentio fit, id quod non cadit in vicenarium. Quae cum ita sint post a. 709/45 hunc natum esse propter titulum Hispaniensem consulatusque annum nego, ante illum vix crediderim. Statuamus igitur tribunum militum brevi ante 727/27 fuisse et paullo post inter XXVI viros, gessisse quaesturam circiter a. 734/20, aedilitatem nisi eius vacationem ab imperatore acceperat a. 736/18—737/17, praeturam a. 739/15; post eam pro consule vel Cyprum vel aliam quamlibet provinciam administrasse, functum esse consulatu a. 743/11, Asiae proconsulatu a. 749/5—750/4; ab eo tempore Romae plerumque degisse rebus forensibus deditum senatoriisque officiis. Quae etsi non omnia testimoniis confirmata, probabilia tamen vel verisimillima sunt.<sup>25)</sup> Nequaquam autem humilem in civitate locum hunc obtinuisse neque extinctum tum fuisse splendorem gentis Fabiae vel inde sequitur quod potentissimis provinciis, Asiae et Africae, fratres Fabi praepositi sunt utrique data illa potestate nummis imagines nominaque imprimendi. Quod si tenebimus, neque submissas preces Ovidi, quamquam alteri affinitate coniunctus erat, iusto humiliores et ipsius Augusti de utroque iudicium, quod Seneca de clem. I, 9 § 10 memoriae tradit, fuisse rectissimum intellegemus. Is enim Cn. Cornelio Cinnae (*θυγατρίδῳ τοῦ μεγάλου Πομπηίου* Dio 55, 12) regnum appetenti patefacta coniuratione dixisse fertur: „Cedo, sis, spes tuas solus impedio? Paullusne te et Fabius Maximus et Cossi et Servili ferent?“ Tertium de magna Fabiorum auctoritate testimonium, quod Dinterus (Progr. Grim. 1865 pag. 5) de Paulo dictum esse nescio quo iure contendit, apud Quintilianum exstat Inst. VI, 3 § 52: „Fabius Maximus, incusans Augusti congiariorum, quae amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit“, quae verba audaciae plena sive hic sive Quintus frater fecit facta

non esse nisi a potentissimo aliquo imperatoris amico apparet. Gravissimum autem de hoc iudicium ipse Augustus fecit, cum in itinere Planasiano hoc potissimum comite atque uno sermonis teste inter se trucemque nepotem facti usus est. At eiusdem tam subita mors, quam Plinius quoque testatur nat. hist. VII, 45, documento esse potest tutum fuisse ab imperatorum potentia neminem.

Addimus quae de filio Paulo Fabio Persico in promptu habemus. Consul fuit a. 787/34 una cum L. Vitellio, patre imperatoris; cfr. Tac. Ann. VI, 28; Henzen 7051 et 7052: Paulo Fabio L. Vitellio cos.; Dio 58, 24: ὑπατοὶ Λούκιος τε Οὐτιέλλιος καὶ Φάβιος Περσικός; Henzen Act. fr. Arv. pag. XXXV, ubi in indice omnia de eo testimonia accurate ut assolet conferuntur. Quod autem acerbissime de hoc iudicavit Seneca de benef. IV, 30: „Quid nuper Fabium Persicum, cuius osculum etiam impudici denotabant (ita Gertzius scripsit pro „devitabant“) sacerdotem non in uno collegio <sup>26)</sup> fecit, nisi Verrucosi et Allobrogici et illi trecenti qui hostium incursioni pro re publica unam domum obiecerant“, id nescio an fecerit invidia quadam ductus. Nam imperator Claudius, cui ille obtrectare saepius solitus sit, in oratione de Gallorum iure honorum a. 801/48 habita Persicum appellavit „nobilissimum virum amicum suum“. <sup>27)</sup> Inter Arvales hic primum fortasse iam a. 774/21 (Henz. pag. XXXII) certe a. d. IX. Kal. Oct. 788/35 (pag. XXXV) atque in omnibus deinceps tabulis adfuisse traditur; deest mense Maio a. 793/40, posteriores tabulae mancae sunt, postremum commemoratur (pag. LIV) Claudio imperatore inter a. 796/43 et 801/48, quo intervallo, id est ab anno 793/40 ad a. 801/48, Asiam pro consule administrasse putandus est.

Longe plurimas epistulas exsul poeta misit ad filios M. Valeri Messallae Corvini, cuius domum a prima adulescentia se coluisse ipse saepius affirmat. Ac patris eorum vitam etsi multi, ex quibus L. Wiese, Burghesius (Oeuvr. Num. I, 408 sq.), Nipperdeius (Mus. Rhen. XIX pag. 282) praeter ceteros nominandi sunt, uberrime accurateque tractarunt, tamen cum diversa ac plane contraria a scriptoribus (Tac. dial. c. 17, Hieron. chron. aliisque) de eo tradita sint, paucis iuvat adumbrare, quamquam epistula ab Ovidio ad eum ex Ponto missa est nulla, propterea quod iam ante mensem Decembrem a. 761/8 obiit. <sup>29)</sup> Ac primum quidem cum traditum sit fuisse hunc Athenis a. 709/45 una cum Horatio et Cicerone minore, haud immerito illis fuisse fere aequalem Nipperdeius coniecit, cumque alterum a. d. VI. Id. Dec. a. 689/65 et alterum sub finem eiusdem anni natum esse constet (cfr. Cic. ad Att. I, 2 § 1) ipse Messalla natus circiter a. 689/65 putandus est. <sup>30)</sup> Idibus Martiis igitur a. 710/44 Athenis versabatur atque una cum amicis ad Brutum Cassiumque se applicavit, id quod Vell. II, 71 testatur qui fulgentissimum iuvenem proximum in illis castris Bruti Cassique auctoritati nominat. Post cladem Philippensem anno 712/42 Antoni arma secutus est Alexandriam ibique cum alia a triumviro impetravit tum contra Antigoni legatos obtinuit ut Phasaelus atque Herodes Iudaeorum fierent tetrarchae. <sup>31)</sup> Pro Herode etiam Romae in senatu a. 714/40 locutus est — cfr. Ioseph. Ant. Iud. XIV, c. 14 § 4: *Ἰν. Δομετίου Καλονίου τὸ δεύτερον καὶ Γαΐου Ἀσινίου Πολλίωνος* — atque effecit ut rex ille exsisteret totius Iudaeae; quod iudicium de summo illius principis ingenio vere imperatorio cum rectissimum fuisse postea appareret, in ipso quoque acre fuisse ingenii acumen intellegimus magnamque iam tum rerum civilium administrandarum peritiam. Antoni autem partibus relictis Octaviano se adiunxerat aegre ferens illius insanum erga Cleopatram amorem <sup>32)</sup>, atque huic compluribus in expeditionibus paullo post (ab a. 718/36) magno usui erat. Consul ab eo factus est in locum Antoni antea designati a. 723/31 <sup>33)</sup>. Tertio anno post <sup>34)</sup> Aquitanorum seditionem pacavit (cfr. Tib. I. 7) triumphavitque ex Gallia a. d. VII. Kal. Oct. 727/27. Antea praefecturam urbis habuerat, quod munus primus obtinuit posuitque post paucos dies „incivilem potestatem esse contestans“. Aelio Tuberone Paulo Fabio Maximo cos. curator aquarum factus est (cfr. Frontin. de aquis II, 99); anno 752/2 ut Augustus pater patriae appellaretur apud patres auctor



fuit (Suet. Aug. 58). Ex quo tempore praefectura urbis se abdicaverat, a rebus publicis omnino abstinuit patronique officio suscepto multis in iudiciis aderat et brevi principem inter oratores locum obtinuit, ut *Oratoris* nomen acciperet.<sup>35)</sup> Eodem tempore tamquam alter Maecenas poetis Tibullo, Ovidio, aliis multis domum aperuit magnumque eorum numerum suis adiuvit opibus. Iure igitur Ovidius *Trist.* et ex *P. epistulis* magnis hunc extulit laudibus; sic appellatur ex *P. I.* 7, 28: „Hortator studii causaque faxque mei“ vel *II.* 2, 97: „primo mihi cultus ab aevo“. Ac Messalino filio de se scribit ex *P. II.* 2, 1: „Ille domus vestrae primis venerator ab annis“. Ampliora ex ep. 3 alterius ex *P. libri v.* 69 sq. discimus, quibus versibus Maximum Cottam longae inter se et illum amicitiae admonet, et Cottae enim in cunis se oscula prima dedisse neque fratrem illius natu maiorem referre posse, quo sit primum sibi a tempore cultus pater Messalla, qui primus ingenii sui dux ut auderet committere carmina famae impulerit.

Eius modi igitur studiis deditus Messalla aetate provectiore diem supremum obiit, septuagesimum alterum, si Hieronymo fidem habemus, annum agens, paucis mensibus antequam Ovidius Roma decessit. Uxor Aurelia, Cottae cuiusdam filia, marito superstes fuit, nam a. 765/12 eam in vivis fuisse ex Ovidi ex *P. II.* 3, 98 efficitur.

Ac de patre quidem Messalla satis dictum est, nunc filii natu maioris M. Valeri Corvini Messallae sive Messalini vitam enarremus. Ad hunc scriptae sunt ex *P. I.* 7 et *II.* 2 atque eae quidem tam submissis verbis precibusque compositae, ut satis appareat fuisse hunc inter eos, quos poeta est veneratus amicos. Nam domum eius citra, quam debuerit, a se cultam atque ipsum sibi vel Caesarem et esse et fuisse affirmat, verum parvam in cultorum turba partem se fuisse illumque iure difficilem esse precibus suis ut alienioris. At concedat id pietati fratris Cottae, quocum maxima sit familiaritate poeta coniunctus. Messalini igitur, qui fuit ex Messallae filiis potentior, gratiam aucupari coepit brevi post triumphum a. 765/12; quae preces cum effectum haberent plane nullum, in posterum ab hoc nihil amplius speravit.

Primam de huius vita mentionem factam esse video a Tibullo in *libr. I. eleg. 7*, qua patri Messallae diem natalem a. 727/27 (cfr. *Dio* 53, 23) gratulatur. Ibi v. 55 sq. scribitur:

„Ac tibi subcrescat proles, quae facta parentis  
augeat et circa stet venerata senem.“

Atque Burghesius quidem (*Oeuvr. Num. I.* 413) propter vocem prolis singulari numero positam unum Messallae filium et eum quidem tenerae aetatis eis versibus significari Cottamque illo tempore nondum natum fuisse censet; contra Dissenius circumstare illud explicari non posse iudicat, nisi plures iam tum liberos Messalla sustulerit, Messalinum nimirum et Cottam. Illius firmatur sententia Ovidi versibus ex *P. II.* 2, 1 et 3, 70, quos supra attuli, ex quibus poetam iam antequam Cotta natus esset, inter patris amicos versatum apparet. Vix enim illi antequam togam virilem sumeret i. e. ante ipsum illum a. 727/27 Messallarum domum patuisse mihi persuadere possum, unde efficitur post eum annum natum esse Cottam, cui in cunis se oscula dedisse scribat. Dissenius quidem neglexit plures etiam praeter illos Corvino fuisse liberos. Nam filiam quidem Messalinam nuptam fuisse cum Statilio Tauro eos. 754/1 traditum est; quid, quod facile conicere licet alios praematura morte extinctos esse? Ceterum tenera tum fuisse Messalinum aetate minime cum Burghesio statuerim, si quidem iste minus octo vel undecim annos natum eum fuisse existimaverit. Tibullus enim elegiam *II.* 5 composuit honori Messalini tunc ipsum inter *XV viros* sacris faciundis et Sibyllinis libris inspiciundis adlecti; atque cum ante sumptam togam virilem potuisse quemquam in hoc fieri collegio sacerdotem negandum videatur, eo tempore, quo elegia illa confecta est, si minimum sextum decimum hunc egisse annum omnes consentiunt. Quae cum ita sint ex eis, quae de patris Messallae vita supra attulimus, apparet reiciendam

esse Fr. Haasi et Buecheleri sententiam<sup>36)</sup>, qui cum a. 727/27 scriptam esse elegiam contenderent natum esse Messalinum iudicarunt a. 711/43<sup>37)</sup>. Nullo modo enim fieri potuit, ut pater Corvinus, qui Athenis anno 710/44 bonis artibus litterisque operam dabat, qui proximos deinde annos usque ad annum fere 714/40 belli civilis turbis ac tumultibus iactabatur, donec Roma abesset, uxorem duceret liberosque procrearet. Itaque ante annum 715/39 Messalinus natus esse ne potuit quidem, rectiusque de elegiae Tibullianae tempore iudicium fecerunt Teuffelius Disseniusque. Ille enim adnotat ad elegiam (Stuttg. 1853 in nostrum sermonem translata) incohatam eam esse paullo ante poetae mortem anno 735/19 exeunte neque absolutam, cum plane nulla in ea domesticae alicuius celebritatis mentio fiat, quam et actam esse consentaneum sit neque poeta praeterire potuerit nisi mortis interventu praepeditus. Alia interpretandi ratione usus Dissenius ad annum 733/21 referre elegiam vult, patrem enim Messallam, quem a. 685/69 natum esse statuit, filium tum duodeviginti annorum habere potuisse, tot autem annos solitos esse exigere ab eis, qui inter quattuor summa sacerdotum collegia cooptarentur. At fuisse hanc legitimam XVviratus aetatem unde homo doctissimus compertum habeat frustra equidem indagare studui; ex titulorum enim testimoniis, in quibus eius sacerdotii mentio fit, nihil certi evincitur, apud scriptores de re altum est silentium. Inter curules quidem honores ponitur in titulis atque id quidem plerumque observato honorum ordine chronologico; commemoratur autem inter praeturam et consulatum vel etiam post consulatum novies<sup>38)</sup>, sed reperti sunt illi quoque tituli, in quibus quosdam vel ante XXviratum inter XVviro allectos esse videmus — cfr. C. I. L. I, 38: Cn. Cornelius Cn. f. Scipio Hispanus pr. aid. cur. q. tr. mil. II. Xvir sl. iudik. Xvir sacr. fac. (p. u. e. 615); vel II, 3837: Paulo Aemilio Paulli f. Palatino Regillo XVviro sacr. fac. praefecto urbis iuri dicundo (i. e. tempore feriar. Latin. cum ille inter XXVviro esset) quaestori Tiberii Caesaris Augusti e. q. s. — vel continuo post XXviratum — cfr. III, 2830: Sergio Severo viro clarissimo, seviro turmae V. equitum Romanorum, IIIviro viarum curandarum, XVviro sacris faciendis, tribuno militum . . . quaestori . . . tribuno pleb. . . praetori, legato legionis . . . consuli et q. s. — atque Tacitum ante praeturam, quam a. 841/88 iniit, cooptatum esse in illud collegium ex ipsius verbis Ann. XI, 11 sequitur. Quocirca etsi futilia sunt Disseni argumenta, in re eum non multum a vero aberrasse existimo, quamquam accuratius ex Tibulli elegia enucleari non potest, quo anno Messalinus natus sit. Quam ad quaestionem diiudicandam certum nobis datum est fundamentum, quod consulem hunc fuisse scimus per totum annum 751/3, cfr. Henzen 7300: „A. d. XI. K. Decembr. . . . M. Messala L. Lentulo cos.“; Suet. Galb. 4: „Serv. Galba Imp. M. Valerio Messalla Cn. Lentul. cos. natus est VIII. Kal. Ian.“ C. I. L. I, 748: „Demetrius Fadeni [s]p. K. Iun. L. Lent. M. Mes. cos.“ (vide Monum. Ancy.) — Itaque si Augusti leges annales anni 727/27 observatas esse in hoc putamus, ante annum 719/35, atque, si recte habet quod supra demonstravimus, post a. 715/39 natum hunc esse statuendum videtur.

Octavo post consulatum anno 759/6 Dalmatiam Pannoniamque provincias obtinuit<sup>39)</sup> legati praetorii loco — imperatorias enim eas fuisse iam inde ab anno 732/22 Dio 54, 4 testatur. — Inde cum a Tiberio aestate illius anni ad bellum Germanicum accessisset suas provincias copiis denudasset, acerrimus ille tumultus utriusque Batonis exardescit, quem extinctum esse a Tiberio paullo ante cladem Varianam aestate a. 762/9 nunc quidem inter omnes constat<sup>1)</sup>. Qua in seditione pacanda hunc strenue se gessisse omnes scriptores consentiunt. Statim enim initio belli cum a Tiberio contra seditiosos praemissus esset (*Τιβέριος . . . τὸν Μεσσαλῖνον προπέμψας αὐτὸς τῷ πλείονι τοῦ στρατοῦ ἐφέπειτο* Dio 55, 30), cum Delmatino Batone proelium commisit, quo cum in acie (*ἐν παρατάξει*) diu acriter utrimque pugnatum esset, postremo ex latebris insidiisque prorumpens (*ἐξ ἐνέδρας*) superior evasit. Quo facto cum Tiberius advenisset suaque cum huius armis coniunxisset, non illico sunt ausi cum hostibus configere, sed in castello Siscia agitabant (*ἐν Σισκίᾳ ἐχρόνισαν*), donec adductis Severi

cohortibus ex Thracia Macedoniaque liberius vagari latiusque agros hostium devastare, vicos castellaque subinde expugnare coeperunt. Accuratus de hoc „praeposito Illyrico“ Velleius II, 112 tradit, qui virum, animo etiam quam gente nobiliorem, scribit prima aestate belli cum semiplena legione vicesima, circumdatum hostili exercitu, amplius XX milia hostium fudisse fugavisseque, et ob id honoratum esse ornamentis triumphalibus, quae Dio (56, 17) et Germanico et ceteris ducibus decreta esse prodit, cum subito nuntius Varianae cladis afferretur. Quam ob rem Tiberius, ut narrat Suetonius (vit. Tib. 20), „a Germania in urbem post biennium regressus triumphum quem distulerat egit prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat“. Ipse Ovidius ex P. II. 2, 75 sq. commemorat Messalinum comitatum esse triumphantem Augusti prolem, et laurea, iam dudum merenti decreta, tandem honoratis comis obtigisse; qua re quod Tibullus II. 5, 113 sq. olim vaticinatus erat, id tunc evenit, nisi quod pater — „umbra“ iam tum sicut Ovidius ex P. II. 2, 98 dicit — filii honorem non vidit.

Deinceps quae Romae gessit, nisi fidem abrogamus Tacito, qui graviter in hoc adulandi studium reprehendit, non omnia videntur laudanda; mortuo enim Augusto cum renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberi in senatu censuisset, specie obloquendi incredibilem in modum Caesarem adulatus esse fertur (Ann. I, 8); pari studio ductus a. 773/20, cum Piso oppressus esset, imperatoriae familiae gratias agendas esse censuit (Ann. III, 18); denique a. 774/21 Caecinae Severo apud patres proponenti: „ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur“, oblocutus oratione parentis facundiae imitatrice <sup>40</sup>) rem obtinuit. Plura de hoc tradita non sunt, nisi forte cum Dintero ad hunc referendum esse conicimus, quod Plinius nat. hist. XXXII, § 123 narrat ab hirudine sanguisuga Messalinum nescio quem e consularibus patriciis cum ad genu admisisset interemptum esse; nam hunc scriptor si intellegi voluisset, ut X, § 32 fecit, cum fratrem Cottam commemorat, ita hoc loco opinor addidisset „Messallae oratoris filium“ fuisse. Cotta cum mortuo fratre Messalini acciperet cognomen (Vell. II, 112), huic superstes fuit, nec dubito Burghesi et Henzeni (Annal. dell' Inst. 1865 p. 9) sententiae adsentiri diem supremum obisse circiter a. 775/22 statuentium. Neque obstat quod Tacitus iam a. 769/16 (Ann. II, 32) atque omnibus deinceps quibus Cottae mentionem facit locis, nescio consultone an errore, Messalini cognomen addit.

Restat ut filium huic fuisse commemorem M. Valerium Messalinum consulem a. 773/20 et inter fratres Arvales nominatum a. 774/21, qui ipse M. Valerium Messallam Corvinum reliquit filium, consulem una cum Imp. Nerone a. 811/58 fratremque Arvalem factum ante a. 810/57, quorum res exponere hoc loco nostrum non est.

Veniamus nunc ad fratrem natu minorem qui initio quidem M. Valerius Maximus, tum, cum a matris fratre quodam Aurelio Cotta in Cottarum adoptatus esset familiam (v. Ovid. ex P. III. 2, 107 sq. „interituram in domum“), M. Aurelius Cotta Maximus nominabatur, postremo mortuo, ut supra diximus, Messalino fratre illius agnomen in locum Maximi addens M. Aurelius Cotta Messalinus appellatus est. Illae nominum mutationes quibus annis adsignandae sint, infra cum vitam eius enarraverimus definire conabimur.

Cotta familiarissime omnium Ovidium usum esse ex ipso epistularum ad eum datarum efficitur numero. Nam si praetermittimus epistolam 8 ex P. libri III, quam quo iure scriptam esse ad Paullum Fabium Maximum nonnulli hom. doct. statuerint supra attigimus, ad hunc missae sunt ex Ponto I. 5 et 9; II. 3 et 8; III. 2 et 5; quibus addendae videntur ex Tristibus IV. 5 et V. 9. Qua in re notandum est in IV. ex P. libro ad hunc epistolam datam esse nullam. Octo illis epistulis cum quae de hoc tradita sunt complectimur, ut ea suppleamus quae in Fabi Maximi ac Messalini vitis praecienda fuerunt, primum apparet fuisse Cottam aliquanto minorem natu quam poetam. Appellatur

enim ex P. II. 3, 55: iuvenis carissime; III. 5, 7: iuvenis patrii non degener oris, vel ibid. v. 37: „o iuvenis studiorum plene meorum“. In epistula autem, quam posteriore loco posui, scripta illa quidem a. 765/12, et carminum huius mentio fit et orationis ab iuvene habitae apud centumviros, quod utrumque studium magnis extollitur laudibus etiam ex P. IV. 16, 41 sq.

„Te tamen in turba (adulescentium poetarum Romanorum) non ausim, Cotta, silere,  
Pieridum lumen praesidiumque fori.“

Virtutes autem viri atque ingenium paria esse generis nobilitati digneque utriusque gentis et Valeriae et Aureliae splendorem referre saepius praedicatur (cfr. ex P. II. 3, init.). Cuius adulationis, mitigatae quodam modo familiaritate illa ex longiore verae amicitiae usu nata <sup>41)</sup>, quae fuerit causa facile intellegimus. Hic enim exsuli amico fidem servavit, hic, „cum alii fugerent subitae contagia cladis, afflictum non aversatus amicum est“, hic inter illos „vix duo tresve“ nominandus fuit, qui proiecto et a ceteris omnibus destituto opem ferre non desierunt. In huius amicorum cohorte Ovidius in insula Ilva morabatur <sup>42)</sup>, cum subito nuntius edicti imperatorii ei allatus est (cfr. pag. IV). Simul ad hunc quoque pervenerat culpae mala fama amici; ex discedente igitur iam iamque valedicturo num verus nuntius esset quaesivit atque, cum is inter confessum dubie dubieque negantem haereret, acerbius in eum invectus est ac ne tristissima quidem illa nocte amico adfuisse videtur, quod nescio an ob eam causam factum sit quod ipse tum aberat. At ubi errasse poetam neque scelus commisisse certior factus est, litteris consolatus est amicitiamque redintegravit, quam fere ad finem vitae Ovidianae hunc praestitisse versibus quos supra attuli ex P. IV. 16, 41 sq. efficitur. Quae cum ita sint quod ex Tristibus quoque unam vel alteram epistolam huic esse inscriptam semper persuasum fuerit hominibus doctis nemini mirum videbitur. Atque Merkelius quidem (Trist. ed. pag. 241 sq. et addito „uti videtur“ pag. 244, „uti conieci“ pag. 376) et Burghesius (Oeuvr. Num. I. 409) ad hunc datam esse exposuerunt Trist. IV. 4, quam Scaliger, Teuffelius, alii Messalino fratri inscriptam esse contenderunt. Atque horum alteriutri eam adsignandam esse et ex v. quinto apparet: „patriae facundia linguae“ — ad quae verba conferas quaeso ex P. II. 2, 49: „eloquii nitor ille domesticus . . . facundi lingua parentis“ et q. s. — et ex v. 27 sq.

„Nam tuus est primis cultus mihi semper ab annis —  
hoc certe noli dissimulare — pater,  
ingeniumque meum (potes hoc meminisse) probabat“ . . . .

At primum quae interposita sunt verba „noli dissimulare — potes hoc meminisse“ uti minus cadunt in familiaritatem illam inter Cottam Ovidiumque intercedentem, ita aptissime scripta videntur ad Messalinum. Deinde quod (v. 12) poeta ne noceat epistula ei ad quem scripta sit veretur, magis pertinere videbitur ad maiorem fratrem, si comparaveris epistulas ex P. I. 7 (cfr. v. 17 me miserum, si tu verbis offenderis istis nosque negas ulla parte fuisse tuos) et II. 2 (cfr. v. 5 ei mihi, si lecto vultus tibi nomine non est, qui fuit, et dubitas cetera perlegere et v. 99 frater . . . veretur servandi noceat ne tibi cura mei). Denique, id quod gravissimum est, quae legimus Trist. IV. 4, 37:

„Hanc quoque, qua perii, culpam scelus esse negabis,  
si tanti series sit tibi nota mali“

ea Cottae, qui Ilvae, antequam poeta Tomos profectus est, vel paullo post de singulis culpae illius sive erroris sive sceleris rationibus plane certior factus esset, luce clarius est scribi non potuisse. Quibus causis etiam illud opinor efficitur, eiusdem libri epistolam quintam non ad Messalinum scriptam esse, id quod Wiesius voluit, sed ad Cottam fratrem, sicut Teuffelius, alii statuerunt. Illam enim epistolam qui accepit, Ovidio pars prima inter dilectos erat amicos, qui veritus non est portus aperire fideles, cuius adloquii (per litteras datis sicut ex P. I. 6, 18) moribunda poetae anima revixit, quem frater,

socius sanguinis, illo diligebat quo pius affectu Castora frater amat. Ea omnia nemo non videt et pertinere ad alterumtutrum ex Messallae filiis neque potuisse ex illis nisi de minore dici. Neque tamen praetermittendum est et adloquia illa et „consilium mite vivendi“ poetae etiam a Celso<sup>43)</sup> data esse (cfr. ex P. I. 9) atque ob eam causam illi epistulam quintam a Merkelio inscribi (Trist. ed. p. 247). At eadem adloquia et plane eadem de amico laudes, quae IV. 5, etiam Trist. I. 5 et V. 9 commemorantur, quas tres epistulas si inter se comparaveris, non ad eundem omnes scriptas esse et magnum intercedere discrimen inter I. 5 et inter IV. 5 et V. 9 facile intelleges. Illa enim ad sodalem quendam missa est, quocum poeta lusit et qui ipse eandem quam ille Romae auctoritatem obtinebat. Celsum autem eum fuisse ex versibus 5 sq. conlatis cum ex P. I. 9, 15 et 21 sq. sequitur. Contra posteriores epistulas accomodatas esse ad officium iuveni ex nobili gente orto tribuendum atque ad eum amicitiae locum, qui inter impares humiliori solet obtingere, quem inter Cottam Ovidiumque fuisse supra diximus. Accedit quod ep. V. 9 poeta amicum ipsius vitam tueri praedicat mitemque appellat, quo nomine nequaquam uteretur de Celso, qui gradu esset ipsi par. Hoc enim nomen nobilissimo cuique fere attribuit<sup>44)</sup>; itaque Augustus vir mitis, mitissimus princeps, mitissimus Caesar, atque omnes omnino Caesares mites appellantur dei et mitissima numina; a dis enim translatum illud est atque inde in hominibus quoque dis fere paribus appellandis usurpatum, veluti propria eius adiectivi vi de miti Tyndaridarum fratrum numine loquitur. Saepius autem nihil mitius esse Caesare dicit et ut apud principem mitia cuncta libello suo contingant Trist. I. 1, 94 optat. Idem adloquitur vel Cotyn regem „mitissime iuvenum“, vel Messalinum ex P. II. 2, 39 „mitissime“, vel Pompeium „mitis amice“, quibus Cottam adiungere nemo non animum inducet, contra Celso inter deos tantaeque nobilitatis viros locum dubito an quisquam daturus sit. Celsum quidem ex duobus tribusve, qui consolari proficiscentem ausi sint, nominat primum, Cottam principem ac partem primam inter omnes.

Non aliud affirmatur epistula Trist. III. 6, quam ad Celsum missam esse iam Politianus et qui eum non sine aliqua dubitatione secutus est Merkelius (pag. 175) rectissime iudicaverunt. De illo enim accipiendum est, quod v. 3 sq. exstat, tota urbe fuisse neminem poetae cariorem vel iunctiorem; vel quod v. 11 scribit illi uni se narrasse secreti quidquid habebat; vel quod v. 7 sq. legimus de animi candore, quem communi cuidam ipsorum amico cognitum esse poeta addit. Eam vero amicitiae familiaritatem utrique eorum intercessisse cum Cotta<sup>45)</sup> concludimus ex ep. 9 ex P. I. Continuum igitur per omnes exsili anni inter exsulem domumque Cottae, cui Celsum ita coniunctum fuisse iudico ut quas ipse Tomis acceperat epistulas eas amico legendas dedisse putandus sit, litterarum commercium servatum est Tristium et ex Ponto libris; plures ad illos quam ad ipsam uxorem missas esse elegias videmus.

Restat ut vitam huius et quem dignitatis locum Romae obtinuerit paucis adumbremus verbis adiuti Burghesi dissertationibus (Oeuvr. Num. I. 409 sq. 413) et eis quae accuratissime Henzenus de hoc congressit (Annal. dell' inst. 1865 p. 5 sqq. Ind. Act. fr. Arv. p. 179). Atque primum quidem Cottam constat fasces gessisse una cum M. Valerio Messalla, fratris Messalini filio, per totum annum 773/20, cum suffecti additi non sint in fast. Antiat. Henzen 6443: „M. Valerius Messala M. Aur[elius] Cotta cos] V. K. Iun. Drusus triumphavit ex Ill[yrice] VII. Idus Iun. Nero to[gam] virilem] sumpsit cong. d.“ (cfr. Tac. Ann. III, 29). Addendum est C. I. L. pag. 475 = Henzen 7419 d. β: „M. Valerio M. Aurelio cos.“ Eodem nominum ordine Tacitus Ann. III, 2 refert: Consules M. Valerius et M. Aurelius (iam enim magistratum ceceperant) . . . quod etsi mirum videri potest patruo fratris filium antecedere<sup>46)</sup>, tamen existimo M. illum Aurelium non esse intellegendum huius Cottae filium quem quidem anno 773/20 32 annorum fuisse nulla computationis ratione effecimus, etiamsi Disseni de Tib. I. 7 sententiam amplexi patrem (Cottam) paullo ante a. 727/27 natum esse statuamus. At suo anno Cottam ad consulatum pervenisse natumque esse circiter anno 740/14 vel iustiorum ob causam reiendum est.

Omissis enim ceteris omnibus de hoc testimoniis ex Trist. IV. 5, quae epistula scripta est hieme a. 763/10—764/11, vers. 27 sq. efficitur, uxorem ante epistulae eius tempora hunc duxisse atque filium filiamque iam procreasse, de quibus vota facit poeta ut iuveni huic dent nomen avi. Atque cum exactis demum viginti annis (id quod quam maxime videtur consentaneum) Ovidio aditum in Messallae patris domum datum esse supra statuerimus: cumque in cunis hic oscula prima acceperit a poeta, iam tum patri coniuncto, haud ita multum a vero aberrabimus, si natum hunc esse intra annum 730/24—735/19 coniecerimus. Quo probato iudicio et rectissime hic ab Ovidio epistulis ex P. datis 30 vel 35 annum agens appellatus est iuvenis et a. 761/8, cum 25 vel 30 annos natus esset, inter quaesturam et praeturam nescio quo munere publico in insula Ilva functus esse videtur. Quod autem quadragenarius factus consul est mirum non videtur, quamquam ex familia facile tum Romae nobilissima natus erat. Rectissimum enim de hoc Teuffelius iudicium scripsit (Hist. lit. Rom. pag. 565<sup>2</sup>) „Politisch wenig thätig und mit Servilismus sich durchhelfend, führte Cotta ein epikureisches Leben (quod Tacitus testatur Ann. VI, 7: nobilis quidem sed egens ob luxum, per flagitia infamis<sup>47</sup>), zu dem neben den Genüssen der Küche (cfr. Plin. nat. hist. X, § 52: Sed, quod constat, Messalinus Cotta, Messallae oratoris filius, palmas pedum ex his [anseribus] sorbere atque patinis cum gallinaceorum cristis condire repperit) auch das Versemachen (Ovid ex P. I. 5, 57 vos, ut recitata probentur carmina, Pieriis invigilate choris; et alibi) und Witzereien gehörte (cfr. quae Tac. Ann. VI, 5 de cena novemdiali et de Tiberiolo meo afferuntur).“ Ex postremo autem illo loco Taciteo a Tiberio hunc dilectum esse inde sequitur, quod ipsum Imperatorem excusationem huius facetiarum ad senatum scripsisse legimus „repetito inter se atque Cottam amicitiae principio crebrisque eius officiis commemoratis.“

Illa quae fuerint officia traditum non est; at si Taciti auctoritatem sequemur, qui Cottam quod imperatori Tiberio gratus acceptusque erat odio nimio videtur insecutus esse<sup>48</sup>), hic, saevissimae cuiusque sententiae auctor, cum litterae imperatoriae in Agrippinam et Neronem a. 782/29 in senatu recitatae essent, atrocem in promptu habuit sententiam. Idemque cum a. 777/24 provincialibus uxorum criminibus proinde quam suis ipsorum magistratus plecti in senatu censuisset, locutus esse videtur ex Tiberi sententia, cuius provincias bene administrari pluris interfuisse constat, quam ipsum nobilium extolli laudibus. Quae Cottae sententia eo magis videtur notanda quod Messalinum fratrem tribus annis ante plane contrarium iudicasse scimus. Benevolentiae plenius de huius erga poetas liberalitate testimonium fert Iuvenalis sat. 5, 108: „Nemo petit . . . quae Cotta solebat largiri,“ vel 7, 94: „Quis tibi Maecenas . . . quis Cotta iterum?“ Honorificentissimum vero quamquam non omnino videtur fide dignum iudicium exstat in monumento sepulchrali nuper in via Appia reperto quod positum est a Zosimo quodam huius liberto (vid. Henz. Ann. dell' Inst. 1865 p. 5—17). Est autem hic:

„M. Aurelius Cottae Maximi l. Zosimus accensus patroni

Libertinus eram, fateor, sed facta legetur

Patrono Cotta nobilis umbra meo,

Qui mihi saepe libens census donavit equestris,

qui iussit natos tollere, quos aleret,

Quique suas commisit opes mihi semper et idem

dotavit natas, ut pater, ipse meas,

Cottanumque meum produxit honore tribuni

quem fortis castris Caesaris emeruit.

Quid non Cotta dedit, qui nunc et carmina tristis

haec dedit in tumulo conspicienda meo?

Aurelia

Saturnina

Zosimi“

Titulus quo tempore scriptus sit primum eis quibus Cotta appellatus sit nominibus Henzenus colligere studuit. Fuisse enim tum adoptatum in Cottarum familiam ex Aurelio efficitur nomine gentilicio, atque cum Messalini nondum additum videamus agnomen (in locum Maximi), fratrem etiam tum in vivis fuisse. Compositus igitur est ante a. 775/22, quo anno fratrem subisse supra coniecimus, et post a. 765/12, quo priores ex Ponto libri confecti sunt. Nam cum in epistulis ex P. I. 5 et 9 et II. 3 uno Maximi, contra in posterioribus II. 8; III. 2 et 5 Maximi Cottae appellatus esset nominibus, Burghesius et Henzenus intra illarum epistularum temporum spatia adoptionem factam esse statuerunt. (cfr. pag. XI). Quae doctissimorum hominum sententia paullulum quidem inde infringitur, quod epistulas ex P. non chronologico qui dicitur ordine collocatas esse constat. Certum autem est a. 765/12 fuisse hunc adoptatum a Cotta avunculo, atque quia eius rei apertam fieri mentionem videmus v. 105 sq. ex P. III. 2 haud ita multo ante eum annum factum id esse coniciendum videtur. Accuratius autem terminum, post quem titulus confectus est, ex eo definit, quod accensum patroni Zosimus fuisse se dicit, quem titulum nisi patronus consulatum vel gerebat vel antea gesserat nemini libertino usurpare licuit. <sup>49)</sup> Brevissimo igitur duorum annorum ab a. 773/20 ad a. 775/22 spatio tempora tituli circumscripta videmus; quae res ipsa illa causa confirmatur, quod Cottanum, Zosimi filium, patronus et nasci vidit et tribuni militum honore produxit sub auspiciis Caesaris sive Germanici sive Drusi minoris, nam ad Tiberium Caesarem bellumque Delmaticum annis 759/6—762/9 gestum <sup>50)</sup> quartum tituli distichum referendum non esse inde intellegitur, quod circa a. 760/7 ipsum Cottam 25 vel si plurimum 30 annos habuisse supra ostendimus. Quo igitur tempore titulus positus est, egens Cotta nondum appellandus erat, sicut a Tacito ad annum 785/32 fit. Nimio autem luxu et largitionibus, quarum in his quoque versibus mentio fit, quamquam Zosimum magnopere rem exaggerasse nemo non videt, adeo rem familiarem deminuerat, ut Aurelio Cottae filio iam inde ab anno 811/58 a Nerone singulis annis pecunia subveniretur (cfr. Tac. Ann. XIII, 34).

Ac de his quidem satis dictum est, sequitur ut alterum fratrum par, qui et ipsi Ovidio erant familiaritate quadam coniuncti et ex nobili Pomponiorum gente orti, C. Pomponium Graecinum et L. Pomponium Flaccum, breviter pertractemus. Ad hos cum quattuor missae sint epistulae, ad priorem ex P. I. 6; II. 6; IV. 9, ad Flaccum I. 10, iam inde apparet ab eis non ita multum sperasse poetam. Sodales autem veteresque appellantur amici, et Graecinus si idem est atque is ad quem data est Amor. II. 10:

„Tu mihi, tu certe — memini — Graecine, negabas  
uno posse aliquem tempore amare duas“

satis longam fuisse inter eos consuetudinem in aperto est. At neuter horum inter illos vix tresve duosve numerandus videtur. Graecinus quidem quoniam quo anno Ovidius Tomos profectus est ipse Roma aberat non potuit amico valedicere. Eisdem autem versibus, quibus hunc absentem tum fuisse comperimus, ex P. I. 6 init.

„Eequid, ut audisti — nam te diversa tenebat  
terra — meos casus, cor tibi triste fuit?“

etiam hoc puto effici primam illam Ovidium ad sodalem ex exilio scripsisse epistulam, neque ullam ex Tristibus ei inscribendam esse. Ad illam autem Graecinum respondisse poeta duobus locis indicat, cum et gratias agit ex P. I. 10, 37 sq. verbis illis: „Vos mihi fertis opem“ et opprobria amici diluit II. 6, 5 sqq:

„Corripis, ut debes, stulti peccata sodalis . . .  
Bracchia da lasso potius prendenda natanti  
nec pigeat mento supposuisse manum.  
Idque facis faciasque precor“ . . et q. sq.

In illa epistula (ex P. I. 6) artibus ingenuis deditum Graecinum vocat et eiusdem officium commemorat militiaeque labores, quos quo in munere susceperit nescimus; II. 6 quo tempore scripta est, matrem et uxorem fratresque complures in vivis huic esse affirmat; IV. 9 gratulatur quod et ipse consul suffectus Kalendis Iuliis<sup>51)</sup> et proximis Kalendis Ianuariis frater consul ordinarius bis senos fascas accepturi sint. Flaccum autem poeta scribit paullo antea, quam liber IV ex P. editus est, praeditum munere publico<sup>52)</sup> in Moesia fuisse, eundem, cum apud Troesmin Danubiumque fluvium acerrima commiserit proelia, testem esse posse se modum non excessisse in eis quae de asperitatibus regionis Tomitanae et de Getarum ferocia periculorum plena scripserit. Quibus omnibus ex rebus apparet esse hos Gaium Pomponium Graecinum cos. suff. a. 769/16 et Lucium Pomponium Flaccum cos. ord. 770/17, de quibus cum Burghesius, Henzenus, Nipperdeus omnia contulerint quae tradita sunt, relata referre nostrum est.

Ac maioris quidem fratris consulatus in fast. Ant. C. I. L. I. p. 475 = Henz. 6442 traditus est: Sisenna Statilius Taurus L. Scribonius Suf. C. Vibius Libo C. Pompeius Graecina (sic!); scribendum enim esse: „C. Pomponius Graecinus“ atque Kal. Iul. hunc munus inisse Renierus ad Burgh. Oeuvr. Num. II. p. 27 adnotavit et Henzenus in Addit. Vol. III p. 509 ostendit<sup>53)</sup>. Inter fratres Arvales cooptatus est a. d. III. Kal. Iun. a. 774/21 (cfr. Henz. Act. pag. XXXII), postea vero, cum tabulae Arvalium ex proximis annis mancae sint, nulla praeterea mentio huius facta in Actis collegii est; cumque non nominetur a. d. XVI. Kal. Dec. a. 788/35, quo die qui sacris adfuerunt, eorum nomina omnia adhuc exstant, antea mortuum hunc esse accipiendum videtur.

Haec fere sunt quae de Graecino repperi, nisi quod Burghesius (Oeuvr. Num. II. p. 28) quam Tacitus (Ann. XIII, 32) Pomponiam Graecinam, insignem feminam, A. Plauti cons. suf. a. 782/29 uxorem commemorat, huius fuisse filiam contendit. Illa cum per quadraginta annos Iuliae, Drusi filiae, superstes fuerit, mortua est a. 837/84 septem et viginti annis post quam, superstitionis externae rea, mariti iudicio permissa erat. Ceterum dubium est, utrum fidem Christianorum — et id quidem inter primas matronas nobiles — amplexa sit, id quod Burghesius vult, an religionibus Isidis vel Serapidis initiata quod sentire videtur Nipperdeus, plane affirmat Schillerus (Ann. Burs. 1878 pag. 535 sq.).

Ampliora quam de hoc de L. Flacco fratre comperta habemus. Ac primum quidem Ovidi versibus: „Praefuit his Graecine, locis modo Flaccus“ . . . qui versus scripti sunt ante Kal. Iul. a. 769/16, cognoscimus in Moesia hunc munere publico functum esse haud ita multo ante illum annum, cuius sub finem consulem designatum eum apud patres verba fecisse Tacitus Ann. II, 32 auctor est, i. e. triennio illo quod inter praeturam consulatumque legitimum erat spatium.<sup>54)</sup> Nam ante praeturam ne Getis arma intulisse putemus vers. 87 sqq. et 117 sqq. eiusdem ex P. IV. epistulae 9 impedimur. Etenim quod fratri Graecino narravit quam bona esset poetae apud Tomitanos fama atque decretis publicis eundem immunem esse factum cognitamque ibi esse eius erga Caesares pietatem, eius modi hunc res illic comperire non potuisse nisi pluribus annis postquam poeta relegatus est nemo non videt. Intra illius temporis spatium quo ex Moesia redierat ac nondum inierat consulatum, etiam quae Suetonius (vit. Tib. c. 42) narrat facta esse mihi videntur. Apud illum enim legimus: „Postea princeps (Tiberius) in ipsa morum correctione (i. e. anno 769/16 sicut Tacitus Ann. II, 32 tradit) cum Pomponio Flacco et L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit, quorum alteri Syriam provinciam, alteri praefecturam urbis confestim detulit, codicillis quoque iocundissimos et omnium horarum amicos professus.“ Eadem Plinius (nat. hist. XIV, 22 § 145) ab nonnullis se comperisse auctoribus („credidere nonnulli“) tradit, nisi quod de uno Pisone ac de biduo duabusque noctibus loquitur. „Confestim“ illud Suetoni de uno L. Pisone, qui eodem anno 759/16 praefecturam urbis accepit et usque ad mortis annum 785/32 administravit, accipiendum esse rectissime Nipperdeus ad Tac. Ann. VI, 11 adnotavit contra Burghesi sententiam, qui cum „Syriam“ apud Suetonium in



„Moesiam“ mutandam esse coniceret, tamen quod voluit assecutus non est; nam usque ad Kal. Iul. anni insequentis Flaccum Romae adfuisse fascisque gessisse constat. Cuius rei et Tacitus auctor est, cum Ann. II, 41 dicit: „C. Caelio L. Pomponio consulibus Germanicus Caesar a. d. VII. Kal. Iun. triumphavit“ et fasti Antiates testantur C. I. L. I. p. 475 = Henz. 6442: „C. Caelius L. Pomponius Flaccus suf. C. Vibius Marsus L. Volusius Procul.“ et titulus Henzenianus 7419 d.  $\beta$ . pag. 509: „C. Caelio L. Pomponio eos.“ (cfr. Cass. Dio 57, 17).

Paulo post consulatum iterum et tum quidem legatus pro praetore in Moesiam missus est, ut Rhescuporidis pacaret seditionem. Qua de re Velleius II, 119 memoriae prodit: „Qua prudentia (Tiberius) Rhescupolim (sic!) interemptorem fratris sui filii Cotyis consortisque eiusdem imperii evocavit! singulari in eo negotio usus opera Flacci Pomponi, consularis viri, nati ad omnia quae recte faciunda sunt, simplicisque virtute merentis semper quam captantis gloriam.“ Accuratius de ea expeditione Tacitus Ann. II, 66 agit: „Defuncto Pandusa, propraetore Moesiae, Caesar Pomponium Flaccum, veterem stipendiis et arta cum rege (Rhescuporide) amicitia eoque accomodatiorem ad fallendum, ob id maxime Moesiae praefecit“. Neque tamen quo anno in provinciam profectus sit, accurate definire possumus. Ex eis quidem, quae Tacitus ad a. 768/15 (Ann. I, 80) narrat: „Prorogatur Poppaeo Sabino<sup>55</sup> provincia Moesia additis Achaia et Macedonia“, idemque memoriae prodit Ann. VI, 39: „Fine anni (788/35) Poppaeus Sabinus concessit vita . . . maximis provinciis per quattuor et viginti annos praepositus“ — Nipperdeus illud colligendum esse statuit Sabinum non a. 767/14 demum in Moesiam missum esse, sed cum alterius provinciae non fiat mentio, illam ipsam iam inde ab anno 765/12 (= 788/35—24) usque ad annum fere 770/17 gubernasse, tum pro consule in Asiam profectum successoresque habuisse in Moesia primum a. 770—771/18 Latinium Pandusam, deinde annis 772—774 Pomponium Flaccum et P. Vellaeum. Nititur illa hominis doctissimi computatio annorum partim in Steupi coniectura censentis transponenda esse secundi Ann. libri capita 59 sq. et 62—67, quae si recte disputata sunt, mortuus est Pandusa eique successit Flaccus a. 771/18, quod ni ita est, a. 772/19 bellum contra Rhescuporidem gestum est. Felici eventu Flaccum rem gessisse regemque captum in urbem trahendum curasse Tacitus l. l. narrat; at ipse quando Romam redierit nescimus. Verisimile autem mihi quidem visum est ante Drusi, filii Imperatoris Tiberi, mortem i. e. ante a. 776/23 hunc rursus in urbe fuisse; nam quam familiaritatem Romae in aula Drusi iunxisse cum Herode Agrippa et postea, cum pro praetore Syriam teneret, principe illo viso, renovasse Iosephus A. I. XVIII, 6 § 2 tradit, eam coniunctam esse puto posteaquam ex Moesia provincia rediit. Syriam autem obtinuit a. 785/32; eam enim, mortuo a. d. IV. Id. Sept. a. 772/19 Germanico, Cn. Sentius Saturninus arripuerat, deinde Aelius Lamia paulo post ab Imperatore in illius locum substitutus per procuratores<sup>56</sup> administraverat usque ad a. 785/32, quo anno L. Pisoni in praefecturam urbis successit. In illius locum statim Flaccum subsecutum esse inde colligitur quod a. 786/33 illic mortuum esse scimus; cfr. Tac. Ann. VI, 27: „Exim Flacco Pomponio Suriae propraetore defuncto . . .“ Ex fine eiusdem anni nummus servatus est paulo ante huius mortem cusus, de quo Burghesius Oeuvr. Epigr. III. pag. 85 sq. scribit: „Serbasi in più musei una medaglia di bronzo di Tiberio coniatà in Antiochia sotto il governo di Flacco, come dimostra l'epigrafe: *ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ*, la quale porta la data cronologica ΒΙΙ ossia LXXXII dell' era Cesariana; comincia quest' anno dall' autunno del Varroniano 786/33.“


Flaccus quot annos natus mortuus sit nusquam traditur; at cum pergratus fuerit Imperatori atque strenuum et acrem in eius se praestiterit officio, non multum me a vero deerrasse existimo, si legitimo fere anno ad consulatum pervenisse et circiter a. 735/19 hunc natum esse propono. Neque sententiae obstat, quod aliquanto minorem et Graecino fratre et Ovidio amico eum fuisse contendimus, numquam enim futurum fuisse ut a poeta precibus compelleretur pro certo habeo, nisi et frater fuisset Graecini, qui erat exsuli amicitiae verae vinculis coniunctus, et multum gratia apud Imperatorem valuisset.

De tertio fratre Publio Pomponio Graecino, quem notum fuisse Ovidio ex v. 16 ex P. II. 6 videmus, ad Burghesium remittere satis habeo, qui Oeuvr. Num. II. pag. 23 sqq. Epigr. I. p. 323 sq. de eo egit.

Ex fautoribus Ovidi ultimo loco nominandus est Sextus Pompeius, quem cum in quarto demum ex P. libro a poeta precibus petitum videamus ante aut noluisse exsuli aut non potuisse usui esse apparet. Postremis autem exsiliis in hoc uno omnem spem salutis Ovidium posuisse inde colligitur, quod ex ceteris quos antea adierat uni Graecino unam libri IV. misit epistolam, ad hunc dedit quattuor (ep. 1. 4. 5. 15) et eas quidem brevi temporis spatio intermisso submissaeque humilitatis plenas. Mitem enim appellat amicum et se ipsum mancipium et rerum non ultimam Sexti<sup>57</sup>). Gratiam laudat in hoc et clementiam, neque unquam arcam huius munificas ipsi opes negasse neque ullam vitae suae partem meritis eiusdem vacare. Imprimis se cum Tomos peteret Pompei ope sustentatum: quem tutas sibi, cum fugeret, exhibuisse vias, defendisse ab ense Bistonio, multa praeterea addidisse tuendae munera vitae, ne proprias extenuaret relegatus opes; debere se illi vitam, atque causam servatoremque salutis illum, ipsum ei debitorem vitae esse non uno loco praedicat. Facundum eiusdem os similibus extollit laudibus atque Valerius Maximus, qui II, 6 § 8 facundissimi sermonis, ore eius quasi e beato quodam eloquentiae fonte manantis, mentionem facit. Pompeio autem designato consuli poeta gratulatur atque eidem vere proximi anni, cum haberet fascas, tecta etiam tum brumali sub nive terra latente alteram misit epistolam. Saepenumero in illis multa de huius divitiis verba facit domumque Pompeiam esse iunctissimam foro Augusto et fundos esse latos in Campania, Sicilia, Macedonia, quas opes partim relictas a patre possideret partim ab ipso emptas.

Elucet esse hunc Sex. Pompeium Sex. f. Cn. n. consulem a. 767/14 fautorem Valeri Maximi, qui l. IV, 7 ext. § 2 ipso Ovidio verbosior est in viro celebrando, cum scribit: „Quod privatim quoque merito veneror, clarissimi ac disertissimi viri promptissimam erga me benivolentiam expertus. Nec metuo ne parum conveniat mihi Pompeium meum instar esse Alexandri. . . . Ego vero gravissimo crimini sim obnoxius, constantis et benignae amicitiae exempla sine ulla eius mentione transgressus, cuius in animo velut in parentum amantissimorum pectore laetior vitae meae status viguit, tristior aquievit; a quo omnium commodorum incrementa ultro oblata cepi, per quem tutior adversus casus steti, qui studia nostra ductu et auspiciis suis lucidiora et alacriora reddidit.“ Atque hunc quod supra appellavimus Gnaei nepotem, secuti in eo Burghesi (Oeuvr. Epigr. III. p. 127 sq. 136—142) sententiam, quam ipse Waddington (fast. I. p. 118 sq.) amplexus est, hoc fere stemma Pompeiorum contexuimus:

Sex. Pompeius Cn. f. uxorem duxit Luciliam sororem Lucilii poetae



Aliud stemma composuerunt Drumannus (IV. p. 305; 318) et qui eum secutus est Kempfius (ed. Valerii Max. pag. 4 sq.); qui cum inter Pompeium virum doctum et consulem anni 719/35 Sextum aliquem Pompeium ab ipsis fictum insererent eidemque consules a. 723 et 749 ex ea familia removerent, hunc filium esse contenderunt illius qui a. 719 ad consulatum pervenit. Falsam esse istam sententiam Burghesius mihi quidem probavit. Consulem enim a. 719/35 aequalem fere fuisse Catoni minori (nato illi quidem a. 659/95) ex Plutarchi loco (Cat. min. cap. 3) a Drumanno neglecto cognoscimus. Etenim sub finem dictaturae Sullanae in ludo Troiae a dictatore instituto Sextus ἀδελφιδούς ὄν Πομπηίου cum a Sulla dux alterius nobilium puerorum turmae esset commendatus repudiatus est, creatus Cato is qui postea Uticae sua sibi manu occidit. Inter praetextatos autem Sextum tum fuisse et sexagenarium fere a. 719/35 consulem factum Burghesius rectissime colligit. Quae si recte habent, pater esse non potuit fautoris Ovidiani, qui et 48 annis post illius consulatum fasces habuit et diem supremum obiit, ut infra demonstrabitur, a. 792/39.

Hunc igitur consulem fuisse a. 767/14 una cum Sexto Appuleio multis confirmatum est testimoniis, quae omnia afferre longum est;<sup>58)</sup> ac per totum annum utrumque munus gessisse et ex fastis Antiat. cognoscitur qui suffectos indicent nullos, et ex titulo C. I. L. III. 1. nr. 717 *Ἐπὶ βασιλείῳς Θαλασσίονος τοῦ Θαλασσίονος* Sex. Pompeio et Sex. Appuleio cos. Idibus Septembr.“ et ex Tac. Ann. I, 7 „(Augusto mortuo) Sex. Pompeius et Sex. Appuleius consules primi in verba Tiberi iuravere.“ Antea quibus in republica gerenda functus sit honoribus, apertis quidem verbis nusquam traditur; sed ex eis quae Ovidius de hoc scribit; ex P. IV. 4, 15 sq.

„Purpura Pompeium summi velabit honoris,  
ne titulis quicquam debeat ille suis“

facile conicias virum, id quod per se verisimile est, totum ante consulatum honorum cursum rite absolvisse. Quid, quod anno 761/8, cum poetae Tomos proficiscenti tutas vias exhibuit, absens ab urbe munere aliquo publico sive in Achaia sive in Moesia (quod Bistonium commemorat poeta ensem) functus est? Atque Achaiam quidem pro consule obtinuisse videtur, ubi hunc eius honori titulum inscriptum esse Dittenbergerus divinavit: C. I. A. III, 1. nr. 592: „*Ἡ βουλή ἡ ἐξ Ἀρείου πάγον καὶ ὁ δῆμος Σέξτον Πομπηίου ἀνθύπατον ἀρετῆς ἔνεκεν*“<sup>59)</sup> qua in re quod vir doctus desiderat apud scriptores testimonium, id ab Ovidio versibus quos attuli (ex P. IV. 5, 33 sq.) subministrari arbitror. — Dixerit quispiam, quoniam in Achaiam missos esse constet praetura functos sive adlectos inter praetorios, non verisimile videri tam nobili viro inter praeturam et consulatum pro legitimo biennio intercessisse minimum sex annos. At considera quod cum de omnibus Pompei Magni propinquis et necessariis tum de hoc Seneca tradit, de ben. IV, 30 § 2: „quae (res) Sex. Pompeium aliosque Pompeios (ad consulatum recepit) nisi unius viri magnitudo, tanta quondam, ut satis alte omnes suos etiam ruina eius adtolleret?“ Neque audiendi sunt si qui opponant Sextum propinquitate vel affinitate quadam iunctum fuisse domui imperatoriae, allegantes illi quidem hunc Dionis locum, LVI, 29: *ἐκείνοι τε γὰρ* (uterque consul a. 767/14) *συγγενεῖς πρὸς τοῦ Καίσαρος τοῦ Ἀυγούστου ὄντες ἦρχον*. Eius enim *συγγενείας* qualis fuerit ratio Burghesius accuratius pertractat, qui postquam in omnem partem rem deliberavit, cum patre huius, consule a. 749, nuptam fuisse verisimillimum esse duxit Marciam quandam minorem — de qua sane nusquam quicquam traditum est — alteram eam Atiae minoris et Philippi filiam et sororem illius Marciae, quam a Paulo Fabio Maximo cos. 743 in matrimonium ductam esse supra diximus. Unde opinatur et intellegi posse, quomodo Ovidius favorem et amicitiam Sexti sibi comparaverit, et illud explicari, quod in eodem columbario Pompei cuiusdam et Atiae Marciaeque nomina reperta sint. Atque etiam si quis hunc filium consobrinae Imperatoris Augusti fuisse negaverit, pari fere propinquitate domum imperatoriam attigisse probabile est atque

Sex. Appuleium alterum a. 767/14 consulem, eum cuius sororem Appuleiam Varillam Tacitus (Ann. II, 50) neptem fuisse sororis Augusti tradit. Eiusmodi autem propinquitatis neque ab Augusto neque a Tiberio rationem esse habitam cum per se consentaneum est, tum Pompeium quidem post duodecimum annum, consulatu functum, videmus Asiam provinciam obtinuisse.

Huius autem proconsulatus testis est Valerius Maximus II, 6 § 8... „in insula Cea... quo tempore Asiam cum Sex. Pompeio petens Iulidem oppidum intravi“... (cfr. IV, 7 § 2). Valeri autem memorabilia quoniam eo tempore scripta sunt, quo Livia in vivis erat, atque illi de Pompeio loci non, sicut accusationes in Seianum missae (IX, 11 ext. 4), posterius inserti esse videntur, Pompeius ante a. 782/29 in provinciam profectus est. Accuratius tempus definiri nequit, quamquam, coniectura ex serie Asiae proconsulum qui quidem traditi sint (cfr. Waddingt. fast.) petita, hoc assequi mihi videor factum esse a. 780/27.<sup>60)</sup>

Consularis autem quem locum Romae obtinuerit nescimus. Anno 773/20 quidem Pisoni (Germanici interfectori) advocatus adesse recusavit (Tac. Ann. III, 11) idemque M. Lepido Asiam provinciam a. 774/21 petenti gravibus in senatu obstitit incusationibus (Tac. Ann. III, 32). De rei familiaris autem amplitudine, quae Ovidius significat (vide supra pag. XXVI), eis obloqui videtur Tacitus Ann. III, 72 ex anno 775/22: „At Pompei theatrum igne fortuito haustum Caesar exstructurum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompeio.“ Neque tollitur difficultas rei Kochi coniectura pro „sufficeret“ vel „succederet“ vel „restaurandum susciperet“ legendum esse censentis. Quam si admiseris unum illud reliquum est, quod et totius loci structura et verbis illis: manente tamen nomine Pompeio“ satis clare indicatur, opes non suffecisse ad theatrum renovandum illi, qui solus superstes erat e Pompeis, i. e. huic Sexto. Quocirca aut errasse Tacitum iudicaverim aut Pompeio magnas quidem opes fuisse, at non tantas quantae ad illius monumenti splendorem instaurandum opus esse viderentur. Ac ne illud quidem neglegendum videtur potuisse Ovidium poetarum more fautoris liberalitatem exaggerare. Ceterum valde auctam postea esse eiusdem rem familiarem, id quod facile coniecimus cum indefessa in praediis administrandis diligentia et frugalitate tum ditissimae provinciae Asiae subsidiis contigisse Senecae testimonio confirmatur. Is enim de tranq. anim. c. 11 § 10 scribit: „Locuples es: numquid divitior Pompeio? Cui cum Gaius, vetus cognatus, hospes novus, aperuisset Caesaris domum, ut suam cluderet, defuit panis, aqua. Cum tot flumina possideret in suo orientia, in suo cadentia mendicavit stillicidia. Fame ac siti periit in palatio cognati, dum illi heres publicum funus esurienti locat.“ Quo loco quod Muretus, Haasius, Nipperdeius, alii pro „Pompeio“ scribendum esse censuerunt „Ptolemaeo“<sup>61)</sup>, multis argumentis refutatur. In proxima enim paragrapho Seneca „Ptolemaeum Africae regem, Armeniae Mithridatem“ inter Gaianas se vidisse custodias scribit, quorum alter in exsilium missus esset, alter ut meliore fide mitteretur optasset. Postrema de Ptolemaeo verba quid sibi velint vel ex Cassi Dionis *ἀπέκτεινε* (LIX, 25) intellegitur vel Suetonius docet Calig. c. 26: „Ptolemaeum regis Iubae filium, consobrinum suum (erat enim et is M. Antoni ex Selene filia nepos)... quibus... cruenta mors persoluta est;“ et apertius Calig. c. 35: „Ptolemaeum... repente percussit.“ Apparet Senecam neque bis intra paucorum versuum spatium potuisse de eiusdem morte loqui neque affirmare, fame et siti subinde eum deperisse quem ferro percussum scire debuit. Illo autem modo plures sublato esse Suetonius auctor est (Calig. c. 26): „(Caligula) alios cum clam interemisset, citare nihilominus ut vivos perseveravit, paucos post dies voluntaria morte perisse mentitus.“

Circiter a. 792/39 igitur, quo anno scelerum istorum Caligula initium fecit, hunc omnium Pompeiorum ultimum exstinctum esse puto „noto essendo“, ut Burghesi verbis utar, „che il Cn. Pompeio Magno, genero dell' imperatore Claudio e figlio di M. Licinio Crasso Frugi (cos. 780/27) trasse quei nomi dalla madre Scribonia nata dall' unica figlia di Sesto Pompeio che tenne lungamente la Sicilia.“<sup>62)</sup>

Sed de fautoribus quidem Nasonis satis multa verba fecisse mihi videor; alteram disputationis partem, quae est de sodalibus, in aliud tempus differre in animo est.

## Notae.

- 1) Sunt haec fere: H. Brandesi „Im neuen Reich“ 1875 p. 746 sqq. Gardthauseni et Arn. Schaeferi in *Fleckeis. Ann.* 1876 p. 246 sqq. et ibidem pag. 541 sqq. G. Lüttgerti et C. Schraderi, quorum cum sententias in *Burs. Ann.* 1876 p. 250 referret I. I. Müllerus statuit esse cladem Varianam acceptam anno 762/9.
- 2) Ille enim cum ex una ex P. epistula IV. 13 versus 13 sq. et 39 sq. afferret, quibus versibus Ovidius Caro sodali et hoc scripsit se in honorem Augusti nuper mortui carmen Getico sermone composuisse, et illud, iam sextam brumam relegatum se sub axe nivali degere, statuit sextam exsili Ovidiani hiemem esse, eam quae imperatoris Augusti a. d. XIV. Kal. Sept. 767/14 defuncti mortem secuta esset, primam igitur hiemem anni 762/9; unde — non satis prudenter — effici vult eodem illo anno 762/9 Ovidium relegatum esse.
- 3) Meyerus Ovidium tanto scribendi studio tantaque facilitate versuum componendorum fuisse vult, ut intra quinque menses inde a mense Decembri usque ad mensem Apr. vel Maium proximi anni tres priores *Trist.* libros scriberet atque ederet, contra in duobus posterioribus conficiendis plenos duos annos consumeret.
- 4) cfr. *Nipperd. Mus. Rhen.* vol. XIX pag. 287 sqq.
- 5) Illud novus *Trist.* IV. 1, 85 omnino non premendum esse eiusdem epistulae v. 97 discimus, ubi de edicto imperatoris, quo relegatus erat, scribit: „corque vetusta meum, tamquam nova, vulnera novit.“
- 6) Ceterum quod Meyerus mense Maio demum in publicum propositum librum III vult ex ipsius libri carminibus vix effici potest; nulla enim eius epistula mensem Mart. vel Apr. excedere cogimur, ut, si cum Meyero poetam a. 762/9 exeunte Roma profectum esse statuamus, duobus vel tribus mensibus illos 1366 versus conscriptos esse indicandum sit.
- 7) Nam primo omnino exsili natali die in itinere erat.
- 8) Recte enim Woelfelius v. 1 Caesares Augustum et Tiberium intellexit, nam v. 9: „qui Caesareo iuvenes sub nomine crescunt“ Germanicus et Drusus, v. 11: „Livia natus“ Tiberius significantur. Falso igitur Brandesius Caesares illos Tiberium et Germanicum atque hanc epistolam scriptam esse contendit de expeditione ab illis a. 764/11 facta, quam Cass. Dio 56,25 commemorat: *Μάρκον δὲ Λιμνίου μετὰ Σταυλίου Ταύρου ὑπατεύσαντος Τιβέριος μὲν καὶ Γερμανιὸς . . . ἐς τε τὴν Κελτικὴν εἰσέβαλον . . .*
- 9) Constat illo tempore hunc *Trist.* epistulis non omnem operam atque studium dedisse sed alia multa temptasse, carmen in *Ibin* conscripsisse, in fastorum opere perrexisse.
- 10) Actum triumphum esse anno 765/12 non 766/13 Meyerus mihi plane probavit.
- 11) Erat enim filius Vistiliae, „C. Lici ac postea Pomponi atque Orfiti clarissimorum civium coniugis“, cuius varia partium tempora *Plin. nat. hist.* VII, 5 § 39 commemorat, qua ipsi nati sunt Corbulo clarissimus ille dux Caesoniaeque Caligulae uxor.
- 12) Burghesius statuit fasces hunc gessisse a. 799/46, contra disputat Mommsenus *Herm.* vol. IV pag. 105 sqq.
- 13) Fabi quae ex P. I. 2, 135 commemorantur scripta et plane incertum est num carmina fuerint et (multo) ante Ovidi exsiliu composita videntur (cfr. pag. 29).
- 14) Burghesius, qui alterum accurate semper ab altero distinxit, tamen in opp. epigr. II p. 368 (quod idem factum est in indicibus operum et epigr. et numism.) Paullum hunc appellavit: „Q. Fabium Maximum Paullum“, ignarus puto Paulli cognomen illo tempore etiam praenominis loco usurpatum esse (quo de usu vide quae Henzenus adnotavit ad nr. 6212 *Inscr. Orell.-Henz.* atque Mommseni *Roem. Forsch.* I. p. 34 sq.). Sed ipse Mommsenus quoque (*Roem. Staats-R.* II, 1 p. 250 Adn. 3) utrumque eodem anno 744/10 consulatu functos esse scribit, quem errorem evitavit *Herm.* vol. III. p. 269, *Roem. Forsch.* I. p. 35.
- 15) cfr. *Cass. Dionis* 53,14 ἀπηγόρευσε μηδένα πρὸ πάντων ἐτὼν μετὰ τὸ ἐν τῇ πόλει ἄρξαι κληροῦσθαι. Marquardt *Roem. Staatsverwalt.* I. p. 405.

<sup>16)</sup> cfr. Waddingt. fast.; certis testimoniis sane non nisi de Cn. Cornelio Cn. f. Lentulo Augure cos. 740 procos. Asiae a. 753—54 traditum est.

<sup>17)</sup> Is enim statuit Oeuvr. Num. I. p. 253 sq. Paullum Fabium anno diutius Asiam administrasse; quem qui sequitur neque de anno ante Asinium Gallum neque de anno 749—50 cogitare potest.

<sup>18)</sup> Hi sunt: P. Quinctilius Varus cos. 741/18 proc. Afric. 747/8—48/6. L. Volusius Saturninus cos. 742/12 procos. Afr. 748/6—49/5. Paullus hic Fabius cos. 743/11 procos. Asiae 749/5—50/4 (?), fraterque eius Quintus cos. 744/10 procos. Afr. 750/4. (?), C. Asinius Gallus cos. 743/8 procos. Asiae 748/6—49/5; nam erravit Mommsenus annum 753 ei tribuens.

<sup>19)</sup> Ex eis quae Tacitus addit verbis: dubium an quaesita morte, certe id apparet, mortuum esse Fabium statim post Romam reditum; aliter enim rumor ille circumferri numquam potuit.

<sup>20)</sup> Adnotat Huebnerus: „Initio nihil deesse statuit Mommsenus praeter imp[eratoris] cognomen“ additque lapidem initio nec fractum esse nec laesum.

<sup>21)</sup> cfr. C. I. L. I. pag. 384, Henzen nr. 5359.

<sup>22)</sup> Non quietam fuisse Hispaniam superioribus annis (fortasse quo tempore Messalla Corvinus Aquitanos pacavit) verisimillimum est.

<sup>23)</sup> Legati Caes. titulum omnibus, quibuscunque aliquod munus ab imperatoribus mandatum erat, addi potuisse et per se clarum est et inscriptionum testimoniis confirmatur. Ut unum afferam exemplum, C. I. L. V, 1878 Trebellenus Rufus ante praeturam legatus Caesaris appellatur: „T. Trebelleno L. f. Cla. Rufo q. tr. pl. legato Caesaris Augusti plebs“, cfr. Nipp. ad Tac. Ann. II, 67.

<sup>24)</sup> Cyprum insulam, quam anno 727/27 fuisse inter provincias praetorias Dio 53,12 testatur, idem (54,4) auctor est senatoriam factam esse a. 732/22. Proconsules autem qui eam administrabant appellabantur, sive fasces Romae gesserant sive inter praetorios vel quaestorios erant. Contra qui imperatoris praerant provinciis semper *προξενται τοῦ Καίσαρος ἀντιπράττοι* = legati pro praetore Caesaris nominabantur; cfr. Marqu. Staatsverw. I. pag. 408 sqq.

<sup>25)</sup> Honorum ordo sicut Augusti legibus institutus erat — quibus legibus admittebantur ad tribunatum milit., qui 18 annos, ad XXviratum, qui 20—21, ad quaesturam, qui 25, ad tribunatum pleb. vel aedilitatem (curul. vel pleb.), qui 27, ad praeturam, qui 30, ad consulatum, qui plenos 32 annos habebant (cfr. Mommsen Roem. Staats-R. I.<sup>2</sup> pag. 553 sq.) — quomodo primis imperatorum temporibus servatus sit, paucis illustrare exemplis operae pretium est. Observata sunt annorum inter singulos magistratus spatia in L. Vinicio L. f. L. n., qui a. 738/16 vel 739/15 IIIvir monetalis et a. 749/5 consul suffectus fuit, et in eius XXviratus collega C. Antistio Vetere cos. ord. a. 748/6 — porro inter praeturam quidem et consulatum in C. Asinio Pollione, qui fuit praetor peregr. a. 773, cos. 776, et in eius utriusque muneris collega C. Antistio Vetere praet. urb. 773, cos. 776; in Cn. Cornelio Lentulo Gaetulico praet. peregr. 776, cos. 779; et in M. Licinio Crasso Frugi praet. urb. 777, cos. 780. At spatia legitimis longiora inveniuntur in C. Norbano Flacco praet. urb. 764, cos. 768; in Haterio Agrippa trib. pl. 768, praet. suff. 770, cos. 775; in C. Fulcinio Trione praet. 777, cos. suff. 784; in Sex. Papinio Allieno praet. peregr. 780, cos. 789; in Cn. Domitio Afro praet. 778, cos. suff. 792, in quo quidem quattuordecim pro trium annorum intervallum habes. Atque quidam viri quo aetatis anno ad consulatum pervenerint traditum est. L. enim Calpurnius Piso Pontifex, qui 80 annos natus a. 785 mortuus est, a. 739/15 tricesimum quartum annum agens consul creatus est; Cn. Calpurni Pisonis cos. 747/7 45 annorum obsequium ex anno 773 commemoratur, quod si ab 18 anno aetatis numeramus, anno 710/44 natus et 37 annum agens consul factus est. L. Volusius Saturninus qui fuit cos. suff. a. 756/3 mortuus est anno aetatis 90 ab urbe condita 809; consulatum igitur iniiit annum agens 40. Denique Q. Haterius cos. suff., ut putant hom. doct. a. 745/9, diem supremum obiit 90 fere annos natus a. 779; consul ergo creatus est annum agens 56.

<sup>26)</sup> cfr. Hermae vol. IV. pag. 217 titulum musei Londiniensis Ephesi repertum et a Curtio vulgatum:  
Paullus Fa]bius Persicus ponti]fex  
sodalis Aug]ustalis frater Arva]lis

<sup>27)</sup> Amici illam appellationem honorificam in Claudi ore non plurimi faciendam esse ex titulo a Mommseno (Hermae vol. IV. pag. 102, 130) nuper edito discimus, in quo ab eodem Claudio inter amicorum cohortem Iulium Plantam, hominem plane obscurum, amicum et comitem imperatoris appellatum videmus.

<sup>28)</sup> Waddington fastes des prov. As. pag. 125<sup>sq.</sup> proconsulem hunc fuisse Asiae inter a. 794 et 804 probavit.

29) Mortuum eum esse Ovidio etiam tum Romae degente apparere ex verbis eius ex P. I. 7, 29:

„Cui nos et lacrimas, supremum in funere munus,  
et dedimus medio scripta canenda foro“

Nipperdeius rectissime monuit.

30) cfr. Teuffel. Roem. Lit.-Gesch. p. 435. Falso igitur et Hieronymus hunc a. 695 natum voluit et Wiesius a. 680, Suetoni potissimum verba secutus in vit. Tib. c. 70: „Tiberius adolescens Corvinum Messallam senem observarat.“

31) cfr. Ioseph. bell. Iud. I. cap. 12 § 5.

32) cfr. Plin. nat. hist. XXXIII, 14 § 50: „Messalla orator prodidit Antonium triumvirum aureis usum vasis in omnibus obscenis desideriis, pudendo crimine etiam Cleopatrae.“

33) cfr. cum alia tum Momms. Ephem. Epigr. IV, 192. ex fast. Amitern ad postrid. Kal. Sept. (diem Actiacum): Imperator Caesar div. f. III. M. Valerius Messalla Corvin. cos.

34) cfr. Fischer: Roem. Zeittafeln pag. 381.

35) cfr. Senec. contr. II. 12, 8; Senec. lud. in mort. Claud. 10, 2; Quint. I. 7, 35; X. 1, 113.

36) Ille enim cum III. Tibulli librum Messalino attribueret, ex eius eleg. V. 17, 59: „Natalem primo nostrum videre parentes, cum cecidit fato consul uterque pari“ natum eum esse a. 711/43 statuit; atque hic in scholis de Roman. histor. litter. semenstr. aest. a. 1875 Bonnae institutis — si quidem recte memini — II. Tibulli librum a. 729/25 et eius elegiam 5. a. 727/27 confectam, Messalinum autem a. 711/43 natum esse nos docuit.

37) Falsum id esse etiam ex Ovidi epistulis elucet; nullo enim modo aequalis is esse potuit poetae, de quo scripta sunt ex P. II. 3, 79 sq.

38) Tituli sunt C. I. L. II, 4114; III, 4366; 5793; V, 2819; 4343; 4344; 4345; 4346; sicut V, 2819: M. Arruntio M. f. Ter. Aquilae IIIviro a. a. a. f. f. quaestori Caesaris trib. pl. pr. cons. XVviro s. f. (circa annum 810—820), vel V, 4344: M. Nonio M. f. Fabio Macrino cos. XVviro sacr. fac. pr. legat. Aug. propraet. prov. Pannoniae inferioris. — Eodem modo V, 4340 clarissimum iuvenem aliquem XVvirum s. f. appellari videmus.

39) vide Dio 55, 29: *Ὀυάλειρος Μεσσαλίνος ὁ τότε καὶ τῆς Αἰθιαίας καὶ τῆς Παννονίας ἄρχων . . .*

40) Ann. III, 34: Cui parens Messalla ineratque imago paternae facundiae; cfr. Ovid. ex P. II. 2, 51: „Vivit enim in vobis (Messalino et Cotta) facundi lingua parentis;“ et v. 49: „eloquii nitor ille domesticus.“ Ceterum Taciti verba tam clara sunt ut immerito Henzenum in Indic. Act. fr. Arv. p. 199 dubitasse existimem, utrum de hoc dicta sint an de cognomine eius filio consule a. 773/20, fratre Arvali a. 774/21.

41) cfr. ex P. I. 7, 31: „Cotta me nec comitem nec dedignatus amicum est et q. sq.“

42) Woelfelius cum rem ita esse negat pro „Aethalis Ilva“ ex P. II. 3, 84 scribendum esse conicit „Italis ulva.“ Quae verba ita intellegi vult ut Brundisium usque Cottam comitatum esse proficiscentem amicum ibique ultimum vale dixisse opinetur ob eam causam, quod accepto imperatoris decreto Ovidius Ilvam proficisci non potuerit. Plane igitur neglexit poetam, antequam exsul factus est, ibi versatum esse. Addendum est, v. 65 sq.: „diceris erratis ingemuisse meis — tum tua me primum solari littera coepit“ vix posse explicari nisi, id quod nos statuimus, iratum prius fuisse Cottam putemus iratumque poetam dimisisse. Quod si recte disputavimus, consentaneum non est Brundisium eum comitem illi fuisse. Quod autem in huius amicorum cohorte poetam fuisse supra dixi, meo iure fecisse mihi videor, cum hunc, tum quaestura perfunctum, vix sine aliquo publico munere Ilvae versatum esse iudicem.

43) Celsus ille quis fuerit plane in incerto relinquendum videtur; Woelfelius eundem eum esse statuit, cuius Horatius ep. I. 8; I. 3, 5 facit mentionem, et Burghesius (Oeuvr. Num. I, 36 sq.) genti Papiae eum adscribit.

44) Unum quod obstat constanti huic usui exemplum habes in Trist. IV. 3, 35, quo loco mitissimam ab eo appellari coniugem legimus; atque ego quidem non dubito quin scribendum sit vel fidissima, vel dulcissima sive carissima. Aliter autem res se habet, quod animum Cottae et Bruti ingenium nominat mitia, quod mitius sibi optat exsilium, quod mite solum, mite consilium, mitemque amicorum erga se pietatem atque mitia esse artium ingenuarum studia praedicat.

45) De hoc enim ac non de P. Fabio Maximo, id quod Politianus contra ipsius voluerat sententiam, versum octavum explicandum esse apparet.

46) Hoc ipsum nescio an Nipperdeium permoverit ut Cottae filium Aurelium illum fuisse ad Tac. I. I. adnotaret, nisi forte typographico mendo id factum esse conicimus, cum ad hunc ipse Nipperdeius referat Ann. IV, 20; V, 3; VI, 5.

- 47) Idem traditur Schol. ad Pers. sat. 2, 72 (pag. 292 ed. Jahn.): „Per Messallae autem propaginem eos vult ostendere, qui non pura conscientia diis sacrificant. Hic autem Cottam Messalinum dicit, qui tam vitiosos oculos in senectute habuit, ut palpebrae eius in exteriorem partem verterentur. Fuit enim et multis deditus vitii. Hic ab Aurelio Cotta adoptatus, M. Aurelius Maximus vocabatur, originem trahens a Valerio Messalla“ . . . . (Quae num omnia recte se habent valde dubito, simillima enim de extremis Messallae patris traduntur annis ab Hieronymo: „Messalla Corvinus ante biennium quam moreretur ita memoriam ac sensum amisit, ut vix pauca verba coniungeret.“ . . .).
- 48) Idem de Tacito iudicium fecit Henzenus Annal. dell' Inst. 1865 pag. 10.
- 49) Eius rei testimonia Henzenus l. l. satis multa congegissit.
- 50) Ita sane Henz. hos versus explicavit cum diceret: „Parmi contraddire a simile supposizione (ad Germanicum sive Drusum versus esse referendos) il modo assoluto, in cui Caesar semplicemente vien qui commemorato, cioè che non può, a parer mio, indicar altri che lo stesso imperatore.“
- 51) Quae epistula si ante Kal. Iul., quibus Graecinum consulatum inisse constat, Romam pervenit, circa mensem Martium consules ordinarios tum designatos esse apparet; cfr. Momms. Roem. Staats-R. I. pag. 569 not. 4.
- 52) Flaccus utrum praefectus pro praetore fuerit an legatus legionis, id quod Burghesius (Oeuvr. Epigr. III. p. 85 sq.) eumque secutus Nipperdeus (ad Tac. Ann. II, 66) statuerunt, ex Ovidi versibus 75 sq. „praefuit his locis modo Flaccus, et illo ripa ferox Histri sub duce tuta fuit“ vel v. 119 „quo laevus fuerat sub praeside Pontus“ . . . colligi vix potest.
- 53) Confundebatur hic antea cum P. Pomponio Secundo, qui cos. fuit una cum T. Statilio Tauro a. 797/44, cfr. C. I. L. pag. 327; Henz. adnot. 7 ad Nr. 6445.
- 54) Idem Burghesius sentit cum scribit: „Flaccon non poté esservi, che il legato di una delle legioni, cui era commessa la difesa della sponda Romana del Danubio (cfr. Adn. 52.); nel quale comando militare, che richiedeva la precedente pretura, avrà impiegata una parte del triennio, che doveva almeno interpersi fra quelle magistratura ed il consolato.“
- 55) Hunc fuisse Gaium Poppaeum Sabinum cos. ord. 762/9, cui cum proconsule Asiam administraret titulus Samius (Bullet. Arch. 1866 p. 208) positus sit: 'Ο δήμος Γάιον Ποππαῖον Σαβῖνον Ἡερῆ Nipperdeus adnotat. Itaque Waddington (fast. des prov. As.) errasse videtur, cum Quintum Poppaeum Sabinum cos. suff. eiusdem anni proconsule in Asia fuisse scriberet; nescio an aberraverit ille a Sabino ad Quintum Sulpicium Camerinum collegam eius.
- 56) Ipse enim in urbe remansit; et unius quidem procuratoris nomen a Senec. ep. 12 § 8 traditum est, „Pacui, qui Syriam usu fecit suam“ quem legatum legionis VI. ferratae fuisse Tacitus Ann. II, 79 prodit.
- 57) K. P. Schulzius in Ann. Berol. Gym. 1880 p. 359 quod praenomine hunc allocutus sit poeta, inde rectissime collegit, quasi servi vel clientis huius personam eum agere.
- 58) cfr. Mon. Ancyr. C. I. L. III. pag. 776: Sex. Pompeio et Sex. Appuleio cos.; Fast. Ant. C. I. L. I, pag. 475; Henz. 6442 alio ordine eos nominant: Sex. Appuleius Sex. Pompeius; C. I. L. I, pag. 475; Henz. 7419 d. β. pag. 590: Sex. Pompeio Sex. Appuleio cos. Dio 56, 29: τῶ γὰρ ἐχομένῳ ἔπει, ἐν ᾧ Σέξτος τε Ἀππουλήιος καὶ Σέξτος Πομπήιος ἠπάτευσαν; Vell. II, 123. Pompeio Appuleioque cos. . . ; Suet. Aug. c. 100: duobus Sextis, Pompeio et Appuleio, cos. . . Tac. Ann. I, 7.
- 59) Achaiam provinciam Dio 53, 12 (cfr. Tac. Ann. I, 76) auctor est usque ad a. 768/15 senatoriam fuisse, quam qui administrabant etiam antequam consulatu functi sunt ἀρχόνται appellabantur. Ex eis autem proconsulibus qui ab a. 724 ad a. 768 provinciam obtinuerunt, tres omnino a scriptoribus nominantur, Mescinius Rufus, L. Livineius, Atidius Geminus (cfr. Nipp. ad Tac. Ann. IV, 43); illis igitur Sextus hic adnumerandus est.
- 60) Cautissime intra a. 780—783 Sextum Asiam gubernasse Waddington et Nipperdeus statuerunt, at Burghesius Kempfiusque proconsulatum eius adsignarunt anno 780/27.
- 61) Consentit cum his Waddington: „Ptolemaeo, inquit, parat être la vraie leçon; il est certain en effet que les expressions de l'auteur (Senecae) s'appliquent bien mieux au royaume de Mauretanie, qu'aux possessions territoriales d'un grand seigneur quelque vastes qu'elles fussent.“
- 62) Placet addere titulum sepulcralem a libertino huius, uti videtur, positum, qui repertus est in Via Appia a. 1851 et editus ab Henzeno (Annal. dell' instit. 1852 p. 315) et a Burghesio (Oeuvr. Epigr. III. pag. 341 sqq.)



### XXXIII

- Hic soror et frater, viv[entis damn]a par[e]ntis,  
Aetate in prima saev[a rapi]na [tuli]t;  
Pompeia his tumulis co[m]mes a]nteit [fu]neris, || haeret  
Et puer, inmites que[m] rapuere] dei.
5. Sex. Pompeius Sexti praec[i]a [.....]ustus  
Quem tenuit magn[i maxima honore dom]us.  
Infelix genitor gemina [iam prole reli]ctus  
A natis spenrans (sic!), qui ded[erit titul]os  
Amissum auxilium functae post [funera] natae
10. Funditus ut traherent invid[ia fata l]arem.  
Quanta iacet probitas pietas quam vera [sep]ulta est!  
Mente senes aevo sed periere [brev]i.  
Quis non flere meos casus possitq. dolore (sic!),  
[Qui d]urare queam bis datus ecce rogis?
15. Si sunt di manes iam, nati, numen habetis  
Per vos cu[r] voti non venit hora mei?

Versus tertium et quartum falso in lapide distinctos et „haeret“ illud priori adscribendum esse apparet; deinde initio vers. 14 propter coniunctivi formam „queam“ non „cur“ sicut editores, sed „qui“ supplevi; at versui 5 septem pedes dant et Henzenus, qui „praeclaro nomine“ et Burghesius, qui „praeco agnomine“ suppleverunt; rem ut expediam, mihi non contigit; libertini tamen cognomen nescio quod ibi scriptum fuisse persuasum habeo (cfr. quae Mommsenus Roem. Forsch. I, p. 58 dicit libertinos cognomine nullo addito in lapidibus non inveniri nisi usque ad medium saeculum septimum ab u. c.). Ceterum admodum dubitantem etiam ea, quae in reliquis versibus supplendis hom. doctissimi addiderunt, me scripsisse ingenue fateor. —

## Index nominum

Numeri uncis inclusi significant quae ex Tristibus epistulae ad singulos missae sint

M. Aurelius Cotta Maximus (IV. 5; V. 9) . . . . .	pag. XIX sqq.
Brutus . . . . .	pag. VIII.
Celsus (I. 5; III. 6) . . . . .	pag. XI; pag. XXI.
Cornelius Fidas . . . . .	pag. IX.
Paullus Fabius Maximus . . . . .	pag. X sqq.
P. Fabius Persicus . . . . .	pag. X.
Marcia (uxor P. Fabi Maximi) . . . . .	pag. XII; pag. XV.
Sex. Pompeius . . . . .	pag. XXVI sqq.
C. Pomponius Graecinus . . . . .	pag. XXIII sq.
L. Pomponius Flaccus . . . . .	pag. XXIII sqq.
Rufus . . . . .	pag. X.
Severus . . . . .	pag. IX.
Publius Suillius Rufus . . . . .	pag. X.
Uxor Ovidi . . . . .	pag. IX sq.
M. Valerius Messalla Corvinus . . . . .	pag. XVI sq.
M. Valerius Messalinus (IV. 4) . . . . .	pag. XVII sqq.

The first part of the book is devoted to a general introduction to the study of the history of the German language. It discusses the historical development of the German language from its roots in the North Germanic and West Germanic dialects to its modern form. The author also touches upon the influence of Latin and French on the German vocabulary and syntax.

The second part of the book is a detailed study of the German language in the Middle Ages. It covers the period from the 10th to the 15th century, focusing on the development of the High German dialects and the emergence of the German literary language. The author discusses the role of the church and the court in the standardization of the language.

The third part of the book is a study of the German language in the Renaissance and Baroque periods. It covers the period from the 16th to the 18th century, focusing on the development of the German literary language and the influence of French and Latin on the German vocabulary and syntax. The author discusses the role of the church and the court in the standardization of the language.

The fourth part of the book is a study of the German language in the 19th and 20th centuries. It covers the period from the 18th to the 20th century, focusing on the development of the German literary language and the influence of French and Latin on the German vocabulary and syntax. The author discusses the role of the church and the court in the standardization of the language.

Index

Index of the book, showing the page numbers for each chapter and section.

Introduction	1-10
Chapter I: The German Language in the Middle Ages	11-50
Chapter II: The German Language in the Renaissance and Baroque	51-100
Chapter III: The German Language in the 19th and 20th Centuries	101-150
Index	151-160